
IHS




PHÆDRI AVG. LIBERTI

Fabularum Aesopiarum LIBRI V.

IOANNES MEVRSIVS

Post Pithœum, Rittershusium, Schoppium, Rigaltium denuò recensuit, & ANIMADVERSIONES addidit.





EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII,
cIↃ. IↃ. CX.



V. CL.

CVNRADO RITTERSHVSIO, I. C. & in Academiâ Noricâ Professori,



IOANNES MEVRSIVS S. P. D.

INVITVS, Rittershusi Clarissime, de morbo tuo intellexi ex nuperis literis Viri præstantissimi, Georgii Remi, amici communis vtriusque nostrûm: nam profectò adfirmo tibi, libenter

ter recordor iſtius temporis, quod in Academiâ Noricâ ante triennium è Bohemiâ adueniens exegi, vbi ſummâ intereà humanitate me hominem exterum, & nunquam anteà viſum certatim complexi eſtis Gentilis, Tu, Dinnerus, Virdungus, Queccius, Piccartus, Acidalius. Et ita me quidem illa res adfecit, vt aliquod eius monumentum exſtare publicè cupiam. Phædrus is erit, quem olim apud vos, te poſtulante, recenſui, annotans quicquid veniret in mentem. Si quid profeci, erit cur gaudeam. Certè deprehendi multis in locis perfidiam dicam, an ſupinam oſcitantiam,

exſcri-

exſcribentis librarii; ideoque orationis contextum miris ſæpè modis hiulcum. Ipſe verò Phædrus in quibuſdam neque ſatis rectè viſus eſt philoſophari. Indicaui in loco, & tu iudicabis. Vniuerſum autem hoc, qualecumque tandem eſt, iam tunc vt ſcripſi tibi inſcripſi, & nunc accipe, ac cum eo pignus animi ætatem tibi addicti. Nam adeò quidem blanda eſt virtutum tuarum facies, vt omnium, quibus te propè nouiſſe contigit, adfectus ad ſe trahat, non aliter atque magnes ferrum. Excuſarem hæc tenuia, ac pro illis intercederem, ſed faciunt abundè ipſa per ſe, & deprecantur iudicii

rigo-

rigorem. Nihil verò hîc conſiderabis præter bonam voluntatem tibi conſecratam,& ad omne officium deuotam; errores autem diſſimulabis. Nec hoc tantùm; quin apud alios quoque patrocinaberis. Nam quicquid hîc vides, laboratum eſt omne, vt ille inquit, in tuæ ſpem gratiæ. Ita te benignè Valetudo reſpiciat, ſeruetque quàm diutiſſimè; & tecum cæteras præſtantes illas animas, quas initio commemoraui, quibusque debere me plurimum ſemper libentiſſimè profitebor. Lugduni Batauorum, Kal. Feb. cIↃ.IↃ.c.x.

IOAN-

IOANNI MEVRSIO suo CVNR. RITTERSHVSIVS S. P.



EQVIDEM *ita fore augurabar, vt Phædrum non sine fructu & tuo & publico relegeres, Meursi doctißime, addo & amicißime, quando inter nos studiorum similium amor amicitiam conciliauit. Quare nec me consilii mei, quo te ad hanc relectionem inuitaui, pœnitere potest, nec debet te obsequii, quo mihi morem geßisti. Ne multa: probo vehementer emendationes & coniecturas tuas, inter quas nonnullæ eminent, tametsi pleræque omnes sint felicißimæ. Nec minùs probo etiam tuas aduersus quasdam Phædri sententias disputationes. non enim carent probabilibus rationibus. Gratias itaque tibi ago, qui non solùm relegendum me hortatore susceperis suauem illum fabulatorem, sed & obseruata in eo mihi inscripseris. Erit hoc amicitiæ nostræ monumentum minimè contemnendum ***. Vale Vir doctißime, &, si commodum erit tibi, crastino die vnam atque alteram horam tribue mecum deambulationi & litteratæ collocutioni.* XIX. *Iunij.* M. D. CVII.

Nobilissimo & Eruditissimo Iuueni

D. SIGISMVNDO A BVRGHAVS

Eq. Silesio,

CVNR. RITTERSHVSIVS

S. D



VAMQVAM totum iam Themidi te deuouisti, Nobiliss. eruditissimeque Burghusi, eiusque sub signis strenuè militas, duce & comite vel commilitone Tobia Sculteto, viro elegante & polito: tamen pauxilli temporis commeatum missionemque ab ea hera te impetrare posse confido, ad hæc, quæ non vsque adeò fortasse à proposito tuo alienæ sunt, perlustranda.


Fabellas continet opusculum, quod tuo nomini dicamus, à Phædro Augusti Imp. liberto versibus olim Iambicis expositas,





PHÆDRI
AVG. LIBERTI
Fabularum Aesopiarum
LIBRI V.

IOANNES MEVRSIVS
Post Pithœum, Rittershusium, Schoppium, Rigaltium denuò recensuit, & ANIMADVERSIONES *addidit.*









3

EX OFFICINA PLANTINIANA
RAPHELENGII,
CIↃ. IↃ. CX.



V. CL.


CVNRADO RITTERSHVSIO,

I. C.

& in Academiâ Noricâ Professori,



IOANNES MEVRSIVS S. P. D.



INVITVS, Rittershusi Clarissime, de morbo tuo intellexi ex nuperis literis Viri præstantissimi, Georgii Remi, amici communis vtriusque nostrûm: nam profectò adfirmo tibi, libenter

ter

ter recordor iſtius temporis, quod in Academiâ Noricâ ante trien-nium è Bohemiâ adueniens ex-egi, vbi ſummâ intereà humani-tate me hominem exterum, & nunquam anteà viſum certatim complexi eſtis Gentilis, Tu, Din-nerus, Virdungus, Queccius, Pic-cartus, Acidalius. Et ita me qui-dem illa res adfecit, vt aliquod eius monumentum exſtare publi-cè cupiam. Phædrus is erit, quem olim apud vos, te poſtulante, re-cenſui, annotans quicquid veni-ret in mentem. Si quid profeci, erit cur gaudeam. Certè depre-hendi multis in locis perfidiam dicam, an ſupinam oſcitantiam,

exſcri-

exſcribentis librarii, ideoque orationis contextum miris ſæpè modis hiulcum. Ipſe verò Phædrus in quibuſdam neque ſatis rectè viſus eſt philoſophari. Indicaui in loco, & tu iudicabis. Vniuerſum autem hoc, qualecumque tandem eſt, iam tunc vt ſcripſi tibi inſcripſi, & nunc accipe, ac cum eo pignus animi ætatem tibi addicti. Nam adeò quidem blanda eſt virtutum tuarum facies, vt omnium, quibus te propè nouiſſe contigit, adfectus ad ſe trahat, non aliter atque magnes ferrum. Excuſarem hæc tenuia, ac pro illis intercederem, ſed faciunt abundè ipſa per ſe, & deprecantur iudicii

rigo-

rigorem. Nihil verò hîc conſiderabis præter bonam voluntatem tibi conſecratam, & ad omne officium deuotam; errores autem diſſimulabis. Nec hoc tantùm; quin apud alios quoque patrocinaberis. Nam quicquid hîc vides, laboratum eſt omne, vt ille inquit, in tuæ ſpem gratiæ. Ita te benignè Valetudo reſpiciat, ſeruetque quàm diutiſſimè; & tecum cæteras præſtantes illas animas, quas initio commemoraui, quibusque debere me plurimum ſemper libentiſſimè profitebor. Lugduni Batauorum, Kal. Feb. cIↄ.Iↄ.c.x.

IOAN-



IOANNI MEVRSIO suo CVNR. RITTERSHVSIVS S. P.

EQVIDEM *ita fore augurabar, vt Phædrum non sine fructu & tuo & publico relegeres, Meursi doctißime, addo & amicißime, quando inter nos studiorum similium amor amicitiam conciliauit. Quare nec me consilii mei, quo te ad hanc relectionem inuitaui, pœnitere potest, nec debet te obsequii, quo mihi morem geßisti. Ne multa: probo vehementer emendationes & coniecturas tuas, inter quas nonnullæ eminent, tametsi pleraque omnes sint felicißimæ. Nec minus probo etiam tuas aduersus quasdam Phedri sententias disputationes. non enim carent probabilibus rationibus. Gratias itaque tibi ago, qui non solum relegendum me hortatore susceperis suauem illum fabulatorem, sed & obseruata in eo mihi inscripseris. Erit hoc amicitiæ nostræ monumentum minimè contemnendum* * * *. *Vale Vir doctißime, &, si commodum erit tibi, crastino die vnam atque alteram horam tribue mecum deambulationi & litteratæ collocutioni.* XIX. *Iunij.* M. D.CVII.

Nobilissimo & Eruditissimo Iuueni

D. SIGISMVNDO A BVRGHAVS

Eq. Silesio,

CVNR. RITTERSHVSIVS

S. D



VAMQVAM totum iam Themidi te deuouisti, Nobiliss. eruditissimeque Burghusi, eiusque sub signis strenuè militas, duce & comite vel commilitone Tobia Sculteto, viro elegante & polito: tamen pauxilli temporis commeatum missionemque ab ea hera te impetrare posse confido, ad hæc, quæ non vsque adeò fortasse à proposito tuo aliena sunt, perlustranda.

Fabellas continet opusculum, quod tuo nomini dicamus, à Phædro Augusti Imp. liberto versibus olim Iambicis expositas,

 fer-

ſermone Latino & puro atque genuino, in quo multas antiquæ elegantiæ notas impreſſas cernere eſt; multas legere ſententias ad quaſlibet vitæ partes vtiliſſimas. Hæ cum tot ſeculis ignorabiles latuiſſent in tenebris, blattarum tinearumque deliciæ, quæ hominum eſſe debebant: ſuperiore demum anno à P. Pithœo, clariſſimo illo Galliæ ſuæ lumine paulò ante occaſum eius illuſtratæ ſunt.

Ne verò ſola his deliciis Gallia frueretur: exemplar libelli Auguſtobonæ Tricaſſium impreſſi Iac. Bongarſius, vir Nobiliſſ. & Cl. amicus ac beneuolens meus, inde curauit D. Ioachimo Camerario: hic porrò mecum, vt ſua ſolet κειμήλια, liberaliter communicauit. Ego cum inter legendum ac relegendum (adeò enim delectabat eius lectio, vt etiam tertiarem) nonnulla Phædri loca Notis quibuſdam meis quà emendatiora, quà illuſtriora (præfiſcini dixerim) concinnaſſem, easque cum Procemio meo, quo de vniuerſa re fabellarum, vtilitateque, nonnulla, vt mea ferebat tenuitas, diſſerebam, ad ipſum allegaſſem, quem ſimul ad libelli editionem renouandam incitabam: delegauit ille mihi omnem huius

rei

rei procurationem, deditque nuncupandi cuicunque vellem, pontificium. Sibi cur inſcriberem, ſicut me facturum innuebam, nihil me cauſſæ habere, quòd iam ante cùm ſuæ in me beneuolentiæ, vel, vt magis propriè loquar, amoris potius ſui, tùm meæ erga ſe obſeruantiæ ſatis multa & præclara extarent documenta. Ad alium ergo irem, cui me gratum facturum exiſtimarem. Accepi condicionem: ſed ita, vt maneret tamen vel ſic meum illud, quo ipſum compellabam, Proœmiolum, quod interpolare poſtea; ac velut mutatis ſignis, Camerario, cui ſemel deſtinaram, interuertere non placebat.

Cum autem tibi, Nobiliſſ. iuuenis, non ingratum fore hoc dedicationis officium conſiderem; ſponſore præſertim idoneo interueniente Gaſp. Schoppio, vtriuſque noſtrum cupidiſſimo, ac ſperarem, poſſe me hac ratione tuam illam, qua me & coràm aliquando complectebare, & quam abſens etiam non ſemel mihi declaraſti beneuolentiam vel augere, vel certè conſeruare: Ita hoc quidquid eſt, tibi inſcripſi. Arbitrare igitur hunc ſcriptorem, noſtraſque ad eum commentatiunculas, politiſſimo iudicio

tuo: ac quia nos omnia eius vel obſcura loca illuſtrare, vel deprauata perſanare non potuimus; tu deinceps, quæ tui eſt ingenij felicitas atque facilitas, ceteris & lucem & medicinam facito.

Vale, cum Sculteto noſtro, & me mutuiter ama, atque iſtum libellum in tutelam tuam recipe. Altorphij XIX. Aprilis, CIↃ. IↃ. XCVII.

SCHOP-

SCHOPPI

AD

BVRGHVSIVM SVVM

Iambi.

OCELLE *noster, atque Equitum decus nouum*
SIGSMVNDE, *quotquot terra habet Germania,*
Gratos habeas Poëta te rogat nouis
Recens Iämbis, quos tibi RITTERSHVSIVS,
Natum nouator veterum, Iambos obtulit;
Iambos Poëta ante veteris, sed nunc noui.
Hoc inquam Iämbis te Poëta rogat nouus,
Pro amicitiâ, quam tecum non colit nouam.
Quòd si grauêre, & veteres Phædri fabulas
Forsan refutes, Iambis conscriptas bonis;
Idem Poëta, noui architectus Iambici,
Malo minatur velle versu perdere,
Nouis rogatus quisque Iambis neglegit
Veteris Poëta grata habere Iambica.

IOHANNIS POSTHII

Archiatri El. Pal.

in hanc iteratam Phædri editionem

EPIGRAMMA.

PHÆDRI *libellos primus in lucem edidit*
 PITHOEVS, *ille Galliæ*
Ocellus, almæ Themidis æternum decus,
 Et rara Phœbi gloria:
Qui nuper euocatus est ad arduam
 Patris supremi regiam.
Eosdem recensuit, & Notis illustribus
 Rite explicatos denuò
Profert sacerdos Iuris integerrimus
 Vatesq; RITTERSHVSIVS.
PHÆDRI *ergo Manes gaudio exultant nouo,*
 Et huic, & illi gratias
Agunt, tenebris hi quod eruti nitent
 Squalore detersо libri,
Clarumq; reddunt nomen Auctoris sui,
 Aucto Poëtarum choro.

IN EANDEM.

Augusto fuerat qui Cæsare Phædrus, ab illo
 Tempore tristiculus sub tenebris latuit,
Ausonio ignotus reliquoq; incognitus orbi.
 Ingenij tantas nox ita preßit opes.

Gallia

Gallia donec eas nuper produxit in oras
Luminis, & celebri dans Camerariadæ,
Fecit Germanis etiam innotescere terris,
O Cunrade operâ consilioq; tuo:
Cui Camerariades Phædrum hunc donauit, vt illum
Inciperes quouis exhilarare modo.
Quod fecisti etiam. Vestrum sit gratia vtrique,
Pro Phædro hoc, cunctos exhilarante bonos.
Pro quo tu Phædrus quoque sis, & Phædimus annos
Nestoreos tecum sit Camerariades.

CHRISTOPHORVS COLERVS Francus CVNR. RITTERSHVSIO I.C. S. D.

Tàm herè tuarum Notarum lectio saliuam mihi mouit, vt ipse etiam magis magisque mihi sapiat Phædrus. Eum hodie mane hoc Epigrammate libuit adfari.

AD PHÆDRVM.

ORCO sponsus eras; non Orco traditus. hinc est
Quod te non voluit perpete nocte tegi
Ista Pithœorum felix concordia fratrum:
Istud tàm doctæ nobile par animæ.
Sed tamen ignotus fueras, tacitusq; secundam
Ni Rittershusius, Phædre, tulisset opem.
Ille tuas Critica detersit pumice sordes,
Teutonicamq; lubens iussit habere plagam.
Dic mihi (sic nobis semper sis, Phædre, superstes)
An te vita magis, an noua fama iuuat?

Tu enim, Rittershûsi, famam ei dedisti; Pithœi vitam. Vale, XVI. Martij, CIↃ. IↃ. XCVII.

PETRO PITHOEO ANTIQVITATIS VINDICI.

PHRYX ille seruus, mente sanus liberâ
Graecas iocosus fecit ex re fabulas
Ad fabulatus quae docerent Socratem.
Graecis trimetris vinxit illas Babrius,
Et pòst Latinis Phaedrus olim Caesaris
Libertus Augusti, stylo atque tempore
Par proximúsve Laberio vel Publio;
Quem nunc tenebris erutum Orcinae specus,
PITHOEE superis reddis auris, maximam
Initurus à me gratiam, imò ab omnibus
Spero eruditis. Ceteros nihil moror,
Quîs prisca sordet literarum puritas.
Tantum ô viderem doctiores Principes,
Quàm literatos seruulos! quales erant
Aesopus, & libertus iste Principis.

Q. SEPT. FLORENS CHRISTIANVS.

P. PITHOEVS

FRANCISCO FRATRI.

REDDO tibi, Frater, pro Nouellis Constitutionibus Imperatoris, veteres Fabellas Imperatorij liberti, & quantum quidem coniicio, Tiberij, atque adeò post Seianum damnatum. nam quis istos deinceps laudauit vnquam? Eius scriptoris qui meminerit ex veteribus nullum dum reperi præter vnum Auienum, quem etiam Virgilij fabulas Iambis scripsisse tradunt. Thracem se fuisse ipse innuit, & Græciæ vicinum: vt nec hi libelli Senecæ fidem eleuent, testantis, Æsopios logos intentatum Romanis ingeniis opus. Senem admodum scripsisse, præter seniles de ætate querellas, vel illa arguunt, quod se D. Augustum ius dicentem audiisse, & Cilnij Mæcenatis Bathyllum saltantem vidisse significat. Cuicui verò ille alapas & libertatem debuerit, tibi certè, Frater, iam vitam debet, quam temporum iniuriâ penè sepulto exemplaris à te reperti beneficio restituere conatus sum. Ita tu patronus Phædro; ego adsertor ac vindex vel non idoneus, sine satisdatione tamen venio,

nio, & Augusti libertum, vel libertinum potius, priuatus hac etiam parte testabilem publicique iuris facio: tu illi adsis ac faueas modò, qui & poëticis voluptatibus aures à forensi asperitate respirare non ignoras, & hoc figmenti genus à veri professoribus vsque adeò non esse alienum, vt à Socrate ipso Æsopi λόγους versibus redditos Cebes apud Platonem in os laudauerit. Haue, mi Frater, & inter istam publicam luem salue ac vale. Tricassibus. x. Kal. Septembres, reb. prolatis. annó ∞. IↃ. XCVI.

AVIENVS

in præfatione Fabularum ſuarum Æſopicarum ad Theodoſium.

HVIVS *materiæ ducem nobis Æſopum noueris, qui reſponſo Apollinis monitus ridicula orſus eſt, vt legenda firmaret. Verum has pro exemplo Fabulas & Socrates diuinis operibus indidit, & poëmati ſuo Flaccus aptauit, quod in ſe ſub iocorum communium ſpecie, vitæ argumenta contineant: quas Græcis Iambis Babrius repetens in duo volumina coartauit; Phædrus etiam partem aliquam quinque in libellos reſoluit. De his ego vſque ad* XLII. *in vnum redactas fabulas dedi, quas rudi Latinitate compoſitas elegis ſum explicare conatus.*

PRIS-

PRISCIANI SOPHISTÆ

Ex arte praexercitaminum secundum Hermogenem vel Libanium ac Graecos Rhetores.

FABVLA est oratio ficta verisimili dispositione imaginem exhibens veritatis. Ideo autem hanc primùm tradere pueris solent Oratores, quia animos eorum adhuc molles, ad meliores facilè vias instituunt vitæ. Vsi sunt eâ vetustissimi quoque auctores, Hesiodus, Archilochus, Plautus, Horatius. Nominantur autem ab inuentoribus, fabularum aliæ Æsopiæ, aliæ Cypriæ, aliæ Libycæ, aliæ Sybariticæ. Omnes autem communiter Æsopiæ, quoniam in conuentibus frequenter solebat Æsopus fabulis vti: & pertinent ad vitæ vtilitatem. Expositio autem fabularum vult circuitionibus carere & iucundior esse: Sed oratio, qua vtilitas fabulæ retegitur, ἐπιμύθιον vocant, quod nos adfabulationem possumus dicere, à quibusdam prima, à plerisque rationabilius postrema ponitur.

Vide Fabium lib. v. Instit. Orat. A. Gell. lib. II. Noct. c. XXVIIII. & Macrob. lib. I. Comment. in Som. Scip


PHÆ-

PHÆDRI,

Aug. Liberti,

FABVLARVM ÆSOPIARVM

LIBER I.



Esopvs *auctor quam materiam reperit,*
Hancce ego poliui versibus Senariis.
Duplex libelli mos est: quod risum mouet,
Et quod prudenti vitã consilio monet.
Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantùm feræ:
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

I.

LVPVS ET AGNVS.

A D *riuum eundem lupus & agnus venerant*
Siti compulsi: superior stabat lupus:
Longeque inferior agnus. tunc face improbâ
Latro incitatus iurgij caussam intulit.
Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam
Istam bibenti? Laniger contra timens:

Qui

Quî possum, quæso, facere quod quereris Lupe?
A te decurrit ad meos haustus liquor.
Repulsus ille veritatis viribus,
Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi.
Respondit Agnus: Equidem natus non eram.
Pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat iniusta nece.
Hæc propter illos scripta est homines fabula
Qui fictis caussis innocentes opprimunt.

II.

RANÆ REGEM PETIERVNT.

ATHENÆ *cum florerent æquis legibus,*
Procax libertas ciuitatem miscuit,
Frenumq; soluit pristinum licentia.
Hinc conspiratis factionum partibus,
Arcem tyrannus occupat Pisistratus,
Cum tristem seruitutem flerent Attici,
Non quia crudelis ille; sed quoniam graue
Omninò insuetis onus, & cœpissent queri,
Æsopus talem tum fabellam retulit.
RANÆ *vagantes liberis paludibus,*
Clamore magno Regem petierunt à Ioue,
Qui dissolutos mores vi compesceret.
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Paruum tigillum, missum quod subitò vadis
Motu sonoq; terruit pauidum genus.
Hoc mersum limo cum iaceret diutius,
Fortè vna tacitè profert è stagno caput,
Et explorato rege, cunctas euocat.
Illa timore posito certatim adnatant,

Lignumq;

Lignumq́; ſupra turba petulans inſilit:
Quod cum inquinaſſent omni contumelia,
Alium rogantes regem miſère ad Iouem,
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat datus.
Tum miſit illis hydrum, qui dente aſpero
Corripere cœpit ſingulas, fruſtra necem
Fugitant inertes: vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,
Adflictis vt ſuccurrat. Tunc contrà Deus;
Quia noluiſtis veſtrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte. Vos quoque, ciues, ait,
Hoc ſuſtinete, maius ne veniat malum.

III.

GRACVLVS SVPERBVS, ET PAVO.

N*E gloriari libeat alienis bonis,*
Suoq́; potius habitu vitam degere,
Æſopus nobis hec exemplum prodidit.
TVMENS *inani graculus ſuperbiâ,*
Pennas, Pauoni quæ deciderant, ſuſtulit,
Seq́; exornauit: deinde contemnens ſuos,
Immiſcuit ſe. Pauonum formoſo gregi.
Illi impudenti pennas eripiunt aui,
Fugantque roſtris. male multatus Graculus
Redire mœrens cœpit ad proprium genus:
A quo repulſus triſtem ſuſtinuit notam.
Tum quidam ex illis quos prius deſpexerat:
Contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus,
Et quod natura dederat voluiſſes pati,
Nec illam expertus eſſes contumeliam,
Nec hanc repulſam tua ſentiret calamitas.

IV.

CANIS PER FLVVIVM CARNEM FERENS.

AMITTIT *meritò proprium, qui alienum adpetit.*
CANIS *per flumen carnem dum ferret natans,*
Lympharum in speculo vidit simulachrum suum:
Aliamq; prædam ab alio perferri putans,
Eripere voluit: verùm decepta auiditas,
Et quem tenebat ore demisit cibum,
Nec quem petebat adeò potuit attingere.

V.

VACCA, ET CAPELLA, OVIS ET LEO.

NVNQVAM *est fidelis cum potente societas.*
Testatur hac fabella propositum meum.
VACCA, *& capella, & patiens ouis iniuriæ,*
Socij fuêre cum Leone in saltibus.
Hi cum cepissent ceruum vasti corporis,
Sic est locutus partibus factis Leo:
Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me sequetur tertia:
Malo adficietur, si quis quartam tetigerit.
Sic totam prædam sola improbitas abstulit.

VI.

RANÆ AD SOLEM.

VICINI *furis celebres vidit nuptias*
Æsopus, & continuò narrare incipit:
VXOREM *quondam Solem velle ducere,*

Clamorem

Clamorem Ranæ sustulêre ad sidera.
Conuicio permotus quærit Iupiter
Causam querellæ. quædam tum stagni incola:
Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,
Cogitq; miseras arida sede emori:
Quidnam futurum est, si crearit liberos?

VII.

VVLPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

PERSONAM *tragicam fortè vulpes viderat,*
O quanta species, inquit, cerebrum non habet!
Hoc illis dictum est, quibus honorem & gloriam
Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

VIII.

LVPVS ET GRVIS.

QVI *pretium meriti ab improbis desiderat*
Bis peccat: primùm quoniam indignos adiuuat:
Impunè abire deinde quia iam non potest.

Os *deuoratum fauce cum hæreret lupi,*
Magno dolore victus, cœpit singulos
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.
Tandem persuasa est iureiurando Gruis,
Gulæq; credens colli longitudinem
Periculosam fecit medicinam Lupo.
Pro quo cum facto flagitaret præmium:
Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

IX.

PASSER AD LEPOREM CONSILIATOR.

Sibi non cauere & aliis consilium dare
Stultum esse paucis ostendamus versibus.
Oppressvm *ab Aquilâ fletus edentem graues,*
Leporem obiurgabat Passer: vbi pernicitas
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes?
Dum loquitur, ipsum Accipiter nec opinum rapit,
Questuq; vano clamitantem interficit.
Lepus semianimus mortis in solatio:
Qui modò securus nostra inridebas mala,
Simili querella fata deploras tua.

X.

LVPVS ET VVLPIS IVDICE SIMIO.

Qvicvnqve *turpi fraude semel innotuit,*
Etiamsi verum dicit, amittit fidem.
Hoc attestatur breuis Æsopi fabula.
Lvpvs *arguebat vulpem furti crimine:*
Negabat illa, se esse culpæ proximam.
Tunc iudex inter illos sedit Simius:
Vterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur Simius sententiam:
Tu non videris perdidisse quod petis;
Te credo surripuisse quod pulchrè negas.

ASI-

XI.

ASINVS ET LEO VENANTES.

VIRTVTIS expers verbis iactans gloriam,
Ignotos fallit; notis est derisui.
VENARI Asello comite cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit simul,
Vt insueta voce terreret feras,
Fugientes ipse vt exciperet. hic auriculas
Clamore subito tollit totis viribus,
Nouoq; turbat bestias miraculo:
Quæ dum pauentes, exitus notos petunt,
Leonis adficiuntur horrendo impetu.
Qui postquam cæde fessus est, Asinum euocat,
Iubetq; vocem premere: tunc ille insolens,
Qualis tibi videtur opera hac vocis meæ?
Insignis, inquit, sic, vt nisi nossem tuum
Animum genusq;, simili fuissem in metu.

XII.

CERVVS AD FONTEM.

LAVDATIS vtiliora quæ contempseris
Sæpè inueniri, hæc exerit narratio.
AD fontem ceruus, cum bibisset, restitit,
Et in liquore vidit effigiem suam.
Ibi dum ramosa, mirans, laudat cornua,
Crurumq; nimiam tenuitatem vituperat,
Venantum subitò vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & cursu leui
Canes elusit. Silua tum excepit ferum,

In qua retentis impeditus cornibus
Lacerari cœpit morsibus sæuis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem, qui nunc demum intelligo,
Vt illa mihi profuerint, quæ despexeram,
Et quæ laudâram, quantum luctus habuerint.

XIII.

VVLPIS ET CORVVS.

QVI *se laudari gaudet verbis subdolis,*
Ferè dat pœnas turpi pœnitentiâ.
CVM *de fenestra coruus raptum caseum*
Comesse vellet, celsâ residens arbore:
Hunc vidit vulpes: dehinc sic occœpit loqui:
O qui tuarum, corue pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.
At ille stultus dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum; quem celeriter
Dolosa vulpes auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corui deceptus stupor.
Hac re probatur, quantum ingenium valet,
Virtute & semper præualet sapientia.

XIV.

EX SVTORE MEDICVS.

MALVS *cum Sutor inopiâ deperditus*
Medicinam ignoto facere cœpisset loco,
Et venditaret falso antidotum nomine,
Verbosis adquisiuit sibi famam strophis.

Hic

Hic cum iaceret morbo confectus graui,
Rex vrbis eius experiendi gratia
Scyphum poposcit: fusâ dein simulans aquâ
Antidoto miscere illius se toxicum,
Hoc bibere iussit ipsum posito præmio.
Timore mortis ille tum confessus est,
Non artis vllâ medicum se prudentiâ,
Verùm stupore vulgi factum nobilem.
Rex aduocata concione hæc addidit:
Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiserit pedes?
Hoc pertinêre verè ad illos dixerim,
Quorum stultitiæ quæstus impudentia est.

XV.

ASINVS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando sæpius
Nil præter domini mores mutant pauperes.
Id esse verum, parua hæc fabella indicat.
ASELLVM *in prato timidus pascebat senex;*
Is hostium clamore subito territus
Suadebat Asino fugere, ne possent capi.
At ille lentus, quæso num binas mihi
Clitellas impositurum victorem putas?
Senex negauit. Ergo quid refert mea,
Cui seruiam? clitellas dum portem meas.

XVI.

OVIS, CERVVS ET LVPVS.

FRAVDATOR *homines cum auocat sponsore improbo*
Non rem expedire, sed mala videre expetit.
OVEM *rogabat Ceruus modium tritici,*
Lupo sponsore: at illa, præmetuens dolum:
Rapere atque abire semper adsueuit lupus;
Tu de conspectu fugere veloci impetu;
Vbi vos requiram, cum dies aduenerit?

XVII.

OVIS, CANIS ET LVPVS.

SOLENT *mendaces luere pœnas maleficij.*
CALVMNIATOR *ab Oue cum peteret Canis,*
Quem commendasse panem se contenderet:
Lupus citatus testis, non vnum modò
Deberi dixit, verum affirmauit decem.
Ouis damnata falso testimonio
Quod non debebat, soluit. post paucos dies
Ouis iacentem in fouea conspexit Lupum:
Hæc, inquit, merces fraudis à Superis datur.

XVIII.

MVLIER PARTVRIENS.

NEMO *libenter recolit, qui læsit, locum,*
INSTANTE *partu mulier peractis mensibus,*
Humo iacebat flebiles gemitus ciens.
Vir est hortatus, corpus lecto reciperet

Onus

Onus naturæ melius quo deponeret.
Minimè, inquit, illo posse confido loco
Malum finiri quo conceptum est initio.

XIX.

CANIS PARTVRIENS.

HABENT *insidias hominis blanditiæ mali,*
Quas vt vitemus, versus subiecti monent.
CANIS *parturiens cum rogasset alteram*
Vt fœtum in eius tugurio deponeret,
Facile impetrauit. dein reposcenti locum
Preces admouit: tempus exorans breue,
Dum firmiores posset catulos ducere.
Hoc quoque consumpto, flagitare validiùs
Cubile cœpit. Si mihi & turbæ meæ
Par, inquit, esse potueris, cedam loco.

XX.

CANES FAMELICI.

STVLTVM *consilium non modò effectu caret*
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.
CORIVM *depressum in fluuio viderunt Canes,*
Id vt comesse extractum possent faciliùs,
Aquam cœpère bibere, sed rupti prius
Ibi periêre, quàm quod petierant, contingerent.

XXI.

LEO, SENEX, TAVRVS ET ASINVS.

QVICVNQVE *amisit dignitatem pristinam*
Ignauis etiam iocus est in casu graui.

Defectvs *annis & desertus viribus*
Leo cum iaceret spiritum extremum trahens,
Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicauit ictu veterem iniuriam.
Infestus taurus mox confodit cornibus
Hostile corpus. Asinus vt vidit ferum
Impune lædi, calcibus frontem exterit.
At ille exspirans: Fortes indignè tuli
Mihi insultare; te naturæ dedecus
Quod ferre certè cogor, bis videor mori.

XXII.

MVSTELA ET HOMO.

Mvstela *ab homine prensa cum instantem necem*
Effugere vellet; quæso, inquit, parcas mihi,
Quæ tibi molestis muribus purgo domum.
Respondit ille: facerem, si causa mea
Gratum esset, & dedissem veniam supplici:
Nunc quia laboras, vt fruaris reliquiis,
Quæ sunt rosuri, simul & ipsos deuores,
Noli imputare vanum beneficium mihi.
Atque ita locutus improbam leto dedit.
Hoc, in se dictum debent illi agnoscere
Quorum priuata seruit vtilitas sibi,
Et meritum inane iactat imprudentibus.

XXIII.

CANIS FIDELIS.

Repente *liberalis, stultis gratus est:*
Verùm peritis irritos tendit dolos.

Noctvr-

Noctvrnvs cum fur panem misisset Cani,
Obiecto tentans an cibo posset capi:
Heus, inquit, linguam vis meam praecludere,
Ne latrem pro re domini. multum falleris.
Namque ista subita me iubet benignitas,
Vigilare, facias ne meâ culpâ lucrum.

XXIV.

RANA RVPTA ET BOS.

Inops potentem dum vult imitari, perit.
In prato quodam Rana conspexit bouem,
Et tacta inuidiâ tantae magnitudinis,
Rugosam inflauit pellem: tum natos suos
Interrogauit, an boue esset latior.
Illi negarunt. rursus intendit cutem
Maiore nisu; & simili quaesiuit modo,
Quis maior esset. Illi dixerunt, Bouem.
Nouissimè indignata dum vult validius
Inflare sese, rupto iacuit corpore.

XXV.

CANES ET CROCODILLVS.

Consilia qui dant praua cautis hominibus
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine,
A Crocodillis ne rapiantur traditum est.
Igitur cum currens bibere coepisset Canis,
Sic Crocodillus: quam libet lambe ocyus,
Accede, pota leniter, & noli dolos,
Inquit, vereri: at ille: facerem me hercule,
Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

VVL-

XXVI.

VVLPES ET CICONIA.

NVLLI nocendum: si quis verò læserit
Multandum simili iure, fabella ammonet.
VVLPIS ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior inuitasse, & ei liquidam in patenâ
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.
Quæ vulpem cum reuocasset, intrito cibo
Plenam lagenam posuit; huic rostrum inserens
Satiatur ipsa, & torquet conuiuam fame.
Quæ cum lagenæ collum frustra lamberet,
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

XXVII.

CANIS ET THESAVRVS
ET VVLTVRIVS.

HÆC res auaris esse conueniens potest,
Et qui humiles nati dici locupletes student.
HVMANA effodiens ossa, thesaurum Canis
Inuenit: & violauit quia Manes Deos,
Iniecta est illi diuitiarum cupiditas,
Pœnas vt sanctæ religioni penderet.
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,
Fame est consumptus: quem stans Vulturius super
Fertur locutus: ô Canis, meritò iaces,
Qui concupisti subitò regales opes,
Triuio conceptus & educatus stercore.

XXVIII.

VVLPIS ET AQVILA.

QVAMVIS *sublimes debent humiles metuere,*
Vindicta docili quia patet solertiâ.
VVLPINOS *catulos Aquila quondam sustulit,*
Nidoq; posuit pullis escam vt carperent.
Hanc persecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miseræ luctum importaret sibi.
Contemsit illa, tuta quippe ipso loco.
Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,
Totamq; flammis arborem circumdedit,
Hosti dolorem damno miscens sanguinis.
Aquila, vt periclo mortis eriperet suos,
Incolumes natos supplex Vulpi tradidit.

XXIX.

ASINVS IRRIDENS APRVM.

PLERVMQVE *stulti risum dum captant leuem*
Graui destringunt alios contumeliâ,
Et sibi nocivum concitant periculum.
ASELLVS *apro cum fuisset obuius:*
Salue, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium, & quærit, cur sic mentiri velit.
Asinus demissis pedibus: Si similem negas,
Tibi me esse, certè simile est hoc rostro tuo.
Aper cum vellet facere generosum impetum,
Repressit iram: & facilis vindicta est mihi,
Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

XXX.
RANÆ METVENTES TAVRORVM PRÆLIA.

HVMILES *laborant, vbi potentes dißident.*
RANA *in palude pugnam Taurorum intuens,*
Heu, quanta nobis instat pernicies! ait.
Interrogata ab aliâ, cur hoc diceret,
De principatu cum illi certarent gregis,
Longéque ab illis degerent vitam boues.
Ratio est separata, ait, ac diuersum genus.
Expulsus regno nemoris, qui profugerit,
Paludis in secreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede;
Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

XXXI.
MILVIVS ET COLVMBA.

QVI *se committit homini tutandum improbo;*
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.
COLVMBÆ *sæpè cum fugißent Miluium,*
Et celeritate pennæ vitaßent necem,
Consilium raptor vertit ad falláciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:
Quare sollicitum potius æuum ducitis,
Quàm regem me creatis icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præstem iniuriâ?
Illæ credentes tradunt sese Miluio:
Qui regnum adeptus cœpit vesci singulis,
Et exercere imperium sæuis vnguibus,
Tunc de reliquis vna: Meritò plectimur.

PHÆDRI Aug. Liberti lib. primus explicit.

In-

Incipit
LIBER SECVNDVS
Feliciter.

AVCTOR.

EXEMPLIS *continetur Æsopi genus,*
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error vt mortalium,
Acuatq; sese diligens industria.
Quicunque fuerit ergò narrandi locus
Dum capiat aurem & seruet propositum suum,
Re commendatur non auctoris nomine.
Equidem omni curâ morem seruabo senis:
Sed si libuerit aliquid interponere
Dictorum, sensus vt delectet varietas,
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Ita sic rependet illi breuitas gratiam,
Cuius verbosa nescit commendatio.

XXXII.
IVVENCVS, LEO, ET PRÆDATOR.

ATTENDE *cur negare cupidis debeas:*
Modestis etiam offerre quod non petierint.
SVPER *Iuuencum stabat deiectum Leo.*
Prædator interuenit, partem postulans:
Darem, inquit, nisi soleres per te sumere.
Et improbum reiecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroq; viso retulit retro pedem.

Cui placidus ille: non est quod timeas, ait:
Et quæ debetur pars tuæ modestiæ,
Audacter tolle. tunc diuiso tergore,
Siluas petiuit, homini vt accessum daret.
Exemplum egregium prorsus & laudabile.
Verùm est auiditas diues, & pauper pudor.

XXXIII.
ANVS DILIGENS IVVENEM, ITEM PVELLA.

A feminis vtcunque spoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis discimus.
ÆTATIS *mediæ quædam mulier non rudis*
Tegebat annos celans elegantiâ.

* * *

Animosq; eiusdem pulchra iuuenis ceperat.
Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cœpere inuicem.
Qui se putaret pingi cura mulierum
Caluus repente factus est. nam funditus
Canos puella, nigros anus euellerat.

XXXIV.
ÆSOPVS AD QVENDAM DE SVCCESSV IMPROBORVM.

LACERATVS *quidam morsu vehementis canis*
Tinctum cruore panem immisit malefico,
Audierat esse quod remedium vulneris.
Tunc sic Æsopus: Noli *coram pluribus*
Hoc facere canibus, ne nos viuos deuorent,
Cum scierint, esse tale culpæ præmium.
Successus improborum plures allicit.

XXXV.

AQVILA, FELES ET APER.

AQVILA *in sublimi quercu nidum fecerat.*
Feles cauernam nacta, in mediâ pepererat.
Sus nemoris cultrix fœtum ad imam posuerat.
Tum fortuitum feles contubernium
Fraude & scelestâ sic euertit malitiâ.
Ad nidum scandit volucris: pernicies, ait,
Tibi paratur, forsan & miseræ mihi.
Nam fodere terram quod vides cotidie
Aprum insidiosum, quercum vult euertere,
Vt nostram in plano facilè progeniem opprimat.
Terrore effuso & perturbatis sensibus,
Derepit ad cubile setosæ suis;
Magno, inquit, in periculo sunt nati tui.
Nam simul exieris pastum cum tenero grege,
Aquila est parata rapere porcellos tibi.
Hunc quoque timore postquam compleuit locum,
Dolosa toto condidit sese cauo.
Inde euagata noctu suspenso pede,
Vbi escâ se repleuit & prolem suam,
Pauorem simulans prospicit toto die.
Ruinam metuens Aquila ramis desidet:
Aper rapinam vitans non prodit foras.
Quid multa? inediâ sunt consumti cum suis,
Felisq; catulis largam præbuerunt dapem.
Quantum homo bilinguis sæpè concinnet mali,
Documentum habere stulta credulitas potest.

XXXVI.

CÆSAR AD ATRIENSEM.

Est ardelionum Romæ quædam natio
Trepidè concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta & aliis odiosissima.
Hanc emendare, si tamen possum, volo
Verâ fabellâ, pretium est operæ attendere.
Cæsar Tiberius cum petens Neapolim
In Misenensem villam venisset suam,
Quæ monte summo posita Luculli manu
Prospectat Siculam & prospicit Tuscum mare,
Ex alticinctis vnus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Perambulante læta Domino viridaria,
Alueolo cœpit ligneo conspargere
Humum æstuantem, iactans officium comæ:
Sed deridetur. Inde notis flexibus
Præcurrit illum in Xistum, sedans puluerem.
Agnoscit hominem Cæsar, remq; intelligit.
Id vt putauit esse nescio quid boni:
Heus, inquit Dominus. ille enim verò adsilit,
Donationis alacer certæ gaudio.
Tum sic locuta est tanti maiestas Ducis:
Non multum egisti, & opera nequicquam perit.
Multo maiores alapæ mecum veneunt.

AQVI-

XXXVII.

AQVILA ET CORNIX.

CONTRA potentes nemo est munitus satis:
Si verò accessit consiliator maleficus,
Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit.
AQVILA in sublime sustulit testudinem:
Quæ cum abdidisset corneâ corpus domo,
Nec vllo pacto lædi posset condita,
Venit per auras Cornix & propter volans:
Opimam sanè prædam rapuisti vnguibus.
Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
Graui nequicquam te lassabis pondere.
Promissâ parte, suadet vt scopulum super
Altis ab astris duram inlidat corticem,
Quâ comminutâ facilè vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila monitis paruit,
Simul & magistræ largè diuisit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

XXXVIII.

MVLI DVO ET VECTORES.

MVLI grauati sarcinis ibant duo:
Vnus ferebat fiscos cum pecuniâ:
Alter tumentes multo saccos hordeo.
Ille onere diues, celsa ceruice eminens,
Clarúmque collo iactans tintinnabulum:
Comes quieto sequitur & placido gradu.
Subitò latrones ex insidiis aduolant,

Interq́ꝫ eadem ferro mulum tonsitant:
Diripiunt nummos; negligunt vile hordeum.
Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
Equidem, inquit alter, me contemtum gaudeo.
Nam nil amisi, nec sum læsus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas;
Magnæ periclo sunt opes obnoxiæ.

XXXIX.

CERVVS AD BOVES.

CERVVS *nemorosis excitatus latibulis,*
Vt venatorum effugeret instantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opertuno se bouili condidit.
Hic bos latenti, Quidnam voluisti tibi
Infelix, vltrò qui ad necem cucurreris,
Hominumq́ꝫ tecto spiritum commiseris?
At ille supplex: vos modò, inquit, parcite;
Occasione rursus erumpam datâ.
Spacium diei noctis excipiunt vices:
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt.
Eunt subinde, & redeunt omnes rustici:
Nemo animaduertit. transit etiam villicus,
Nec ille quicquam sentit. tum gaudens ferus
Bobus quietis cœpit agere gratias,
Hospitium aduerso quod præstiterint tempore.
Respondit vnus: saluum te cupimus quidem;
Sed ille qui oculos centum habet, si venerit,
Magno in periculo vita vertetur tua.
Hæc inter, ipse dominus à Cœna redit:
Et quia corruptos viderat nuper boues

Accedit

Accedit ad præsepe: Cur frondis parum est?
Stramenta desunt? tollere hæc aranea,
Quantum est laboris? dum scrutatur singula,
Cerui quoque alta est conspicatus cornua:
Quem conuocatâ iubet occidi familiâ,
Prædamq́; tollit. Hæc significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

AVCTOR.

ÆSOPO ingentem statuam posuêre Attici,
Seruumq́; collocarunt æternâ in basi,
Patere honoris scirent vt cuncti viam,
Nec generi tribui, sed virtuti gloriam.

* * * *

Quoniam occuparat alter ne primus foret,
Nec solus esset, studij quod superfuit.
Nec hæc inuidia, verum est æmulatio.
Quod si labori fauerit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Græciæ.
Si liuor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conscientiam.
Si nostrum studium ad aures peruenit tuas,
Et arte fictas animus sentit fabulas,
Omnem querellam submouet felicitas.
Sin autem ab illis doctus occurrit labor,
Sinistra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam possunt nisi meliores carpere,
Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

Incipit

LIBER TERTIVS.

Phædrus

AD EVTYCHVM.

PHÆDRI *libellos legere si desideras,*
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Vt liber animus sentiat vim carminis.
Verùm, inquis, tanti non est ingenium tuum,
Momentum vt horæ pereat officij mei.
Non ergo caussa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non conuenit.
Fortasse dices: aliqua venient feriæ,
Quæ me soluto pectore ad studium vocent.
Legésne, quæso, potius viles nænias,
Impendas curam quàm rei domesticæ;
Reddas amicis tempora, vxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Vt adsuëtam fortius perstes vicem?
Mutandum tibi propositum est & vitæ genus
Intrare si Musarum limen cogitas.
Ego, quem Pierio mater enixa est iugo,
In quo Tonanti sancta Mnemosyne Ioui
Fœcunda nouies artium peperit chorum,
Quamuis in ipsâ natus sim penè Scholâ,
Curamq́ habendi penitus corde eraserim,
Et laude inuitâ in hanc vitam incubuerim,
Fastidiosè tamen in cœtum recipior.
Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigiliâ,

Decto

Docto labori dulce praeponens lucrum
Sed iam quodcunque fuerit (vt dixit Sinon
Ad regem cum Dardaniae perductus foret)
Librum exarabo tertium Aesopi stylo,
Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem si leges, laetabor: sin autem minus,
Habebunt certè quo se oblectent posteri.
Nunc fabularum cur sit inuentum genus,
Breui docebo. Seruitus obnoxia
Quia, quae volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit,
Calumniamq́; fictis elusit iocis.
Ego illius porrò semitâ feci viam,
Et cogitaui plura quàm reliquerat,
In calamitatem deligens quaedam meam.
Quod si accusator alius Seiano foret,
Si testis alius, iudex alius denique,
Dignum faterer esse me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.
Suspicione si quis errabit suâ,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium
Stultè nudabit animi conscientiam:
Huic excusatum me velim nihilominus.
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verùm ipsam vitam & mores hominum ostendere.
Rem me professum dicet forsan aliquis grauem:
Si Phryx Aesopus potuit Anacharsi Scytha
Aeternam famam condere ingenio suo:
Ego, literatae qui sum propior Graeciae,
Cur somno inerti deseram patriae decus?
Threissa cum gens numeret auctores suos,
Linoq́; Apollo sit parens; Musa Orpheo,

Qui saxa cantu mouit, & domuit feras,
Erebiq; tenuit impetus dulci morâ.
Ergô hinc abesto, liuor, ne frustra gemas:
Quoniam mihi solemnis debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi,
Candore noto, reddas iudicium, peto.

XL.

ANVS AD AMPHORAM.

ANVS *iacere vidit epotam amphoram,*
Adhuc falernâ fece, & testa nobili
Odorem quæ iocundum latè spargeret.
Hunc postquam totis auida traxit naribus:
O suauis anima, qualem te dicam bonam
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiæ?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me nouerit.

XLI.

PANTHERA ET PASTORES.

SOLET *à despectis par referri gratia.*
PANTHERA *imprudens olim in foueam decidit*
Vidêre agrestes: alij fustes congerunt:
Alij onerant saxis: quidam contrà miseriti,
Perituræ quippe quamuis nemo læderet,
Misêre panem, vt sustineret spiritum.
Nox insecuta est, abeunt, securi domum,
Quasi inuenturi mortuam postridie.
At illa vires vt refecit languidas
Veloci saltu foueâ sese liberat,

Et in cubile concito properat gradu:
Paucis diebus interpositis, prouolat,
Pecus trucidat: ipsos pastores necat,
Et cuncta vastans sæuit irato impetu.
Tum sibi timentes, qui feræ pepercerant
Damnum haud recusant; tantùm pro vitâ rogant.
Et illa: Memini qui me saxo petierint;
Quis panem dederit. Vos timere absistite;
Illis reuertor hostis, qui me læserant.

XLII.

ÆSOPVS ET RVSTICVS.

VSV *peritus hariolo velocior*
Vulgò esse fertur: Causa sed non dicitur:
Notescet quæ nunc primùm fabellâ meâ.
HABENTI *cuidam pecora pepererunt oues*
Agnos humano capite. monstro exterritus
Ad consulendos currit mœrens hariolos.
Hic pertinêre ad domini respondit caput,
Et auertendum victimâ periculum.
Ille autem affirmat, coniugem esse adulteram,
Et insitiuos significari liberos;
Sed expiari posse maiori hostiâ.
Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisq; curam curâ maiore aggrauant.
Æsopus ibi stans naris emunctæ senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Vxores, inquit, da tuis pastoribus.

XLIII.

LANIVS ET SIMIVS.

PENDERE ad Lanium quidam vidit simium
Inter reliquas merces atque opsonia.
Quæsiuit, quidnam saperet. tum Lanius iocans:
Quale, inquit, caput est, talis præstatur sapor.
Ridiculè magis hoc dictum quàm verè æstimo,
Quando & formosos sæpe inueni pessimos;
Et turpi facie multos cognoui optimos.

XLIV.

ÆSOPVS ET PETVLANS.

SVCCESSVS ad perniciem multos deuocat.
ÆSOPO quidam petulans lapidem impegerat.
Tantò, inquit, melior. assem deinde illi dedit.
Sic prosecutus, Plus non habeo me hercule;
Sed vnde accipere possis, monstrabo tibi.
Venit ecce diues & potens: huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit.
Sed spes fefellit impudentem audaciam.
Comprehensus namque pœnas persoluit cruce.

XLV.

MVSCA ET MVLA.

MVSCA in temone sedit, & Mulam increpans:
Quàm tarda es, inquit: non vis citiùs progredi?
Vide ne dolone collum compungam tibi.

Respondit

Respondit illa: verbis non moueor tuis;
Sed istum timeo, sellâ qui primâ sedens
Iugum flagello temperat lento meum.
Et lora frenis continet spumantibus.
Quapropter aufer friuolam insolentiam.
Nam vbi tricandum, & vbi currendum est, scio.
Hac derideri fabulâ meritò potest
Qui sine virtute vanas exercet minas.

XLVI.

LVPVS AD CANEM.

QVAM *dulcis sit libertas, breuiter proloquar.*
CANI *perpasto macie confectus Lupus*
Forte occurrit: salutantes dein inuicem
Vt restiterunt: Vnde sic quæso nites,
Aut quo cibo fecisti tantum corporis?
Ego, qui sum longè fortior, pereo fame.
Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,
Præstare domino si par officium potes.
Quod? inquit ille. Custos vt sis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.
Ego verò sum paratus. nunc patior niues
Imbresq;, in siluis asperam vitam trahens.
Quanto est facilius mihi sub tecto viuere,
Et otiosum largo satiari cibo?
Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit
Lupus à catenâ collum detritum Canis.
Vnde hoc, amice? nihil est. dic quæso tamen.
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce vt quiescam, & vigilem cum nox venerit.
Crepusculo solutus, qua visum est vagor:

Adfertur

Adfertur vltrò panis: de mensâ suâ
Dat ossa dominus: frusta iactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.
Sic sine labore venter impletur meus.
Age, si quò est abire animus, est licentia.
Non planè est, inquit. Fruere quæ laudas Canu.
Regnare nolo, liber vt non sim mihi.

XLVII.

SOROR AD FRATREM.

PRÆCEPTO *monitus sæpè te considera.*
HABEBAT *quidam filiam turpissimam,*
Idemq; insigni & pulchrâ facie filium.
His speculum in cathedrâ matris suppositum fuit.
Pueriliter ludentes fortè inspexerant;
Hic se formosum iactat; illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris iocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.
Ergô ad patrem cucurrit, læsura inuicem,
Magnâque inuidiâ criminatur filium,
Vir natus quòd rem feminarum tetigerit.
Amplexus ille vtrumque, & carpens oscula,
Dulcemq; in ambos caritatem partiens:
Cotidie, inquit, speculo, vos vti, volo.
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis:
Tu faciem vt istam moribus vincas bonis.

XLVIII.

SOCRATES AD AMICOS.

VVLGARE, *amici nomen; sed rara est fides.*
CVM *paruas ædes sibi fundasset Socrates*
(Cuius

(Cuius non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo inuidiæ, dummodo absoluar cinis)
Ex populo sic, nescio quis, vt fieri solet:
Quæso tam angustam talis vir ponis domum?
Vtinam, inquit, veris hanc amicis impleam!

XLIX.

POETA DE CREDERE ET NON CREDERE.

PERICVLOSVM *est credere & non credere.*
Vtriusque exemplum breuiter exponam rei.
Hippolytus obiit, quia nouercæ creditum est.
Cassandræ quia non creditum, ruit Ilium.
Ergo exploranda est veritas multum prius,
Quàm stulta praue iudicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate eleuem,
Narrabo tibi, memoria quod factum est mea.
MARITVS *quidam cum diligeret coniugem,*
Togamq; puram iam pararet filio:
Seductus in secretum à liberto suo,
Sperante heredem se fecisse proximum:
Qui cum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis castæ mulieris,
Adiecit, id quod sentiebat maximè
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproq; turpi pollui famam domus.
Incensus ille falso vxoris crimine,
Simulauit iter ad villam, clamq; in oppido
Subsedit: deinde noctu subito ianuam
Intrauit, rectà cubiculum vxoris petens,
In quo dormire mater, natum iusserat,
Ætatem adultam seruans diligentius.

Dum quærunt lumen, dum concursant familia,
Iræ furentis impetum non sustinens
Ad lectum accedit; tentat in tenebris caput,
Vt sentit tonsum, gladio pectus transfigit
Nihil respiciens, dum dolorem vindicet.
Lucernâ adlatâ, simul adspexit filium
Sanctamq; vxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil somno senserat;
Repræsentauit in se pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod credulitas strinxerat.
Accusatores postularunt mulierem,
Romamq; pertraxerunt ad Centum viros.
Maligna insontem deprimit suspicio,
Quod bona possideat: stant patroni fortiter
Causam tuentes innocentis feminæ.
A Diuo Augusto tunc petiere Iudices,
Vt adiuuaret iurisiurandi fidem,
Quod ipsos error implicuisset criminis.
Qui postquam tenebras dispulit calumniæ,
Certumq; fontem veritatis reperit,
Luat, inquit, pœnas causa libertus mali.
Namque orbam nato simul & priuatam viro,
Miserandam potius quàm damnandam existimo.
Quòd si damnanda perscrutatus crimina
Paterfamilias esset, si mendacium
Subtiliter limasset à radicibus,
Non euertisset scelere funesto domum.
Nil spernat auris; nec tamen credat statim.
Quandoquidem & illi peccant, quos minimè putes:
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc ammonere simplices etiam potest,
Opiniones alterius ne quis ponderet.

Ambitio namque dißidens mortalium,
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo.
Erit ille notus, quem per te cognoueris.
Hæc exſecutus ſum propterea pluribus,
Breuitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

L.

EVNVCHVS AD IMPROBVM.

EVNVCHVS *litigabat cum quodam improbo:*
Cui ſuper obſcœna dicta & petulans iurgium,
Damnum inſectatus eſt amißi corporis.
En, ait, hoc vnum eſt, cur laborem validius,
Integritatis teſtes quia deſunt mihi.
Sed quid fortunæ, ſtulte, delictum arguis?
Id demum eſt homini turpe, quod meruit pati.

LI.

PVLLVS AD MARGARITAM.

IN *ſterquilinio pullus gallinaceus*
Dum quærit eſcam, margaritam reperit.
Iaces indigno quanta res, inquit, loco:
Hoc ſi quis pretij cupidus vidiſſet tui,
Olim rediſſes ad ſplendorem maximum.
Ego, qui te inueni, potior cui multò eſt cibus,
Nec tibi prodeſſe, nec mihi quicquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intellegunt.

LII.

APES ET FVCI VESPA IVDICE.

APES in alta quercu fecerant fauos.
Hos fuci inertes esse dicebant suos.
Lis ad forum deducta est, vespâ iudice:
Quæ genus vtrumque nosset cum pulcherrimè,
Legem duabus hanc proposuit partibus:
Non inconueniens corpus, & par est color,
In dubium planè res vt meritò venerit.
Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alueos accipite, & ceris opus infundite,
Vt ex sapore mellis, & formâ faui,
De quîs nunc agitur, auctor horum appareat.
Fuci recusant; apibus condicio placet.
Tunc illa talem sustulit sententiam:
Apertum est, quis non poßit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum restituo suum.
Hanc præterissem fabulam silentio,
Si pactam fuci non recusassent fidem.

LIII.

DE LVSV ET SEVERITATE.

PVERORVM in turbâ quidam ludentem Atticus
Æsopum nucibus cum vidisset, restitit,
Et quasi delirum risit: quod sensit simul
Derisor potius quàm deridendus senex,
Arcum retensum posuit in mediâ viâ:
Heus, inquit, Sapiens, expedi quod fecerim.
Concurrit populus. Ille se torquet diu,

Nec quæstionis positæ causam intelligit.
Nouißimè succumbit. tum victor Æsopus:
Citò rumpes arcum, semper si tensum habueris.
At si laxaris, cum voles, erit vtilis:
Sic lusus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior vt redeat tibi.

LIV.

CANIS AD AGNVM.

INTER *capellas Agno balanti Canis,*
Stulte, inquit, erras. non est hæc mater tua:
Ouesq; segregatas ostendit procul.
Non illam quæro, quæ cum libitum est, concipit,
Dein portat onus ignotum certis mensibus,
Nouißimè prolapsam effundit sarcinam:
Verùm illam quæ me nutrit admotò vbere,
Fraudatq; natos lacte, ne desit mihi.
Tamen illa est potior, quæ te peperit. non ita est.
Vnde illa sciuit, niger an albus nascerer.
Age porrò, sciffet cum crearet masculus,
Beneficium magnum sanè natali dedit,
Vt expectarem lanium in horas singulas.
Cuius potestas nulla in gignendo fuit,
Cur hac sit potior, quæ iacentis miserita est,
Dulcemq; sponte præstat beneuolentiam?
Facit parentes bonitas, non neceßitas.
His demonstrare voluit auctor versibus
Obsistere homines legibus, meritis capi.

LV.

CICADA ET NOCTVA.

HVMANITATI *qui se non accommodat,*
Plerumque pœnas oppetit superbiæ.
CICADA *acerbum Noctuæ conuicium*
Faciebat, solitæ victum in tenebris quærere,
Cauoq; ramo somnum capere interdiu.
Rogata est vt taceret: multò validius
Clamare cœpit. rursus admotâ prece,
Accensa magis est. Noctua vt vidit sibi
Nullum esse auxilium, & verba contemni sua,
Hac est aggressa garrulam fallaciâ:
Dormire quia me non sinunt cantus tui,
Sonare citharâ quos putes Apollinis,
Potare est animus nectar, quod Pallas mihi
Nuper donauit. Si non fastidis, veni;
Vnà bibamus. Illa, quæ ardebat siti,
Simul cognouit vocem laudari suam,
Cupidè aduolauit. Noctua egressa è cauo
Trepidantem consectata est, & leto dedit.
Sic viua quod negarat, tribuit mortua.

LVI.

ARBORES IN DEORVM TVTELA.

OLIM *quas vellent esse in tutelâ suâ,*
Diui legerunt arbores. quercus Ioui,
Et myrtus Veneri placuit; Phœbo laurea:
Pinus Cibelæ: populus celsa Herculi.
Minerua admirans, quare steriles sumerent,

Interro-

Interrogauit. Causam dixit Iupiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At mehercule narrabit quod quis voluerit,
Olina nobis propter fructus est gratior.
Tunc sic Deorum genitor atque hominum sator:
O nata meritò sapiens dicere omnibus:
Nisi vtile est quod facimus, stulta est gloria.
Nihil agere quod non prosit fabella admonet.

LVII.

PAVO AD IVNONEM DE VOCE SVA.

PAVO *ad Iunonem, venit indignè ferens*
Cantus Luscinij quod sibi non tribuerit:
Illum esse cunctis auibus admirabilem,
Se derideri, simul ac vocem miserit.
Tunc consolandi gratia dixit Dea:
Sed formâ vincis, vincis magnitudine:
Nitor smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisq; plumis gemmeam caudam explicas.
Quò mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes vobis sunt datæ:
Tibi forma; vires Aquilæ, Luscinio melos,
Augurium Coruo, læua Cornici omina,
Omnes quæ propriis sunt contentæ vocibus.
Noli adfectare quod tibi non est datum,
Delusa ne spes ad querellam recidat.

LVIII.

ÆSOPVS RP. GARRVLO.

ÆSOPVS *domino, solus cum esset, familiâ*
Parare cœnam iussus est maturius,

Ignem ergo quærens, aliquot lustrauit domus:
Tandemq; inuenit vbi lucernam accenderet.
Tum circumeunti fuerat quod iter longius,
Effecit breuius. namque rectà per forum
Cœpit redire: & quidam è turbâ garrulus,
Æsope, medio sole quid tu cum lumine?
Hominem, inquit, quæro; & abit festinans domum.
Hoc si molestus ille ad animum retulit,
Sensit profectò se hominem non visum Seni,
Intempestiuè qui occupato adluserit.

PHÆDRI Aug. liberti lib. tertius explicit.

Incipit
LIBER QVARTVS.

LIX.

ASINVS ET GALLI.

QVI *natus est infelix, non vitam modò*
Tristem decurrit; verùm post obitum quoque
Persequitur illum dura fati miseria.
GALLI *Cybeles circum quæstus ducere*
Asinum solebant baiulantem sarcinas.
Is cum labore & plagis esset mortuus,
Detractâ pelle sibi fecerunt tympana.
Rogati mox à quodam delicio suo,
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

POR-

POETA.

IOCVLARE *tibi videtur & ſanè leue.*
Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nænias,
Quantam ſub illis vtilitatem reperies?
Non ſemper ea ſunt quæ videntur; decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit
Quod inferiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus ſine mercede exiſtimer,
Fabellam adiiciam

LX.

DE MVSTELA ET MVRIBVS.

MVSTELA *cum annis & ſenecta debilis*
Mures veloces non valeret adſequi,
Inuoluit ſe farinâ, & obſcuro loco
Abiecit neglegenter. Mus eſcam putans,
Adſiluit, & compreſſus occubuit neci.
Alter ſimiliter deinde perit, & tertius.
Aliquot venit ſæculis rete territus,
Qui ſæpè laqueos & muſcipula effugerat,
Proculq; inſidias cernens hoſtis callidi:
Sic valeas, inquit, vt farina es, quæ iaces.

LXI.

DE VVLPE ET VVA.

FAME *coacta Vulpis altâ in vineâ*
Vuam adpetebat ſummis ſaliens viribus:
Quam tangere vt non potuit, diſcedens ait:
Nondum matura eſt; nolo acerbam ſumere.

Qui facere quæ non possunt, verbis eleuant,
Adscribere debebunt hoc exemplum sibi.

LXII.

EQVVS ET APER.

EQVVS *sedare solitus quo fuerat sitim,*
Dum sese Aper volutat, turbauit vadum.
Hinc orta lis est. sonipes iratus fero
Auxilium petiit hominis: quem dorso leuans
Rediit ad hostem. Iactis hunc telis eques
Postquam interfecit, sic locutus traditur:
Lætor tulisse auxilium me precibus tuis.
Nam prædam cepi, & didici quàm sis vtilis.
Atque ita coëgit frenos inuitum pati.
Tum mœstus ille: Paruæ vindictam rei,
Dum quæro demens, seruitutem reperi.
Hæc iracundos admonebit fabula,
Impunè potius lædi, quàm dedi alteri.

LXIII.

POETA.

PLVS *esse in vno sæpè quàm in turba boni,*
Narratione posteris tradam breui.
Quidam decedens tres reliquit filias:
Vnam formosam & oculis venantem viros:
At alteram lanificam & frugi, rusticam:
Deuotam vino tertiam, & turpissimam.
Harum autem matrem fecit heredem senex
Sub condicione, Totam vt fortunam tribus
Æqu[illegible]ter distribuat, sed tali modo:

Ne

Ne data possideant aut fruantur: tum simul
Habere res desierint quas acceperint,
Centena matri conferant sestertia.
Athenas rumor implet: mater sedula
Iurisperitos consulit. nemo expedit,
Quo pacto non possideant, quod fuerit datum,
Fructúmve capiant: deinde, quæ tulerint nihil,
Quánam ratione conferant pecuniam.
Postquam consumta est temporis longi mora,
Nec testamenti potuit sensus colligi,
Fidem aduocauit iure neglecto parens:
Seponit mœchæ vestem, mundum muliebrem,
Lauationem argenteam, eunuchos glabros:
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boues, iumenta, & instrumentum rusticum:
Potrici, plenam antiquis apothecam cadis,
Domum politam, & delicatos hortulos.
Sic destinata dare cum vellet singulis,
Et adprobaret populus, qui illas nouerat:
Æsopus mediâ subitò in turbâ constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quàm grauiter ferret quòd voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici?
Rogatus deinde soluit errorem omnium:
Domum & ornamenta cum venustis hortulis
Et vina vetera date lanificæ rusticæ:
Vestem, vniones, pedissequos & cetera
Illi adsignate, vitam quæ luxu trahit:
Agros & vites & pecora, cum pastoribus
Donate mœchæ: Nulla poterit perpeti,
Vt moribus quid teneat alienum suis.
Deformis cultum vendet, vt vinum paret:

Agros abiciet moecha, vt ornatum paret:
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacunque summâ tradet luxuriæ domum.
Sic nulla poßidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulæ.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis reperit sollertia.

LXIV.

PVGNA MVRIVM ET MVSTELARVM.

CVM *victi mures mustelarum exercitu*
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, & artos circum trepidarent cauos,
Ægrè recepti, tamen euaserunt necem,
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, vt conspicuum in prœlio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Hæsêre in portis, suntq́, capti ab hostibus.
Quos immolatos victor auidis dentibus
Capacis alui mersit tartareo specu.
Quemcunque populum tristis euentus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili præsidio latet.

PHÆDRVS.

TV *qui nasute scripta distringis mea,*
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Paruum libellum sustine patientiâ,
Seueritatem frontis dum placo tuæ,
Et in coturnis prodit Æsopus nouis.
Vtinam ne vnquam Pelei nemoris iugo

Pinus

Pinus bipenni concidisset Thessalâ,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quæ Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graiûm & Barbarûm.
Namque & superbi luget Aeëtæ domus,
Et regna Peliæ scelere Medeæ iacent:
Quæ sæuum ingenium variis inuoluens modis
Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hîc cæde patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum: longe quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoq; vindicauit exemplo impetum.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te iuuant, nec fabulæ?
Noli molestus esse omninò literis,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, si qui stultitiam nauseant,
Et vt putentur sapere cœlum vituperant.

LXV.

SERPENS AD FABRVM FERRARIVM.

MORDACIOREM *qui improbo dente adpetit,*
Hoc argumento se describi sentiat.
IN *officinam Fabri venit vipera:*
Hæc cum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contrà contumax:
Quid me, inquit, stulta dente captas lædere,
Omne adsueui ferrum quæ conrodere?

Agros abiciet mœcha, vt ornatum paret:
At illa gaudens pecore, & lana dedita,
Quacunque summâ tradet luxuriæ domum.
Sic nulla poßidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulæ.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Vnius hominis reperit sollertia.

LXIV.

PVGNA MVRIVM ET MVSTELARVM.

CVM *victi mures mustelarum exercitu*
(Historia quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, & artos circum trepidarent cauos,
Ægrè recepti, tamen euaserunt necem,
Duces eorum, qui capitibus cornua
Suis ligarant, vt conspicuum in prœlio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Hasêre in portis, suntq́, capti ab hostibus.
Quos immolatos victor auidis dentibus
Capacis alui mersit tartareo specu.
Quemcunque populum tristis euentus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili præsidio latet.

PHÆDRVS.

TV *qui nasute scripta distringis mea,*
Et hoc iocorum legere fastidis genus,
Paruum libellum sustine patientiâ,
Seueritatem frontis dum placo tua,
Et in coturnis prodit Æsopus nouis.
Vtinam ne vnquam Pelei nemoris iugo

Pinus bipenni concidisset Thessalâ,
Nec ad professæ mortis audacem viam
Fabricasset Argus opere Palladio ratem,
Inhospitalis prima quæ Ponti sinus
Patefecit, in perniciem Graiûm & Barbarûm.
Namque & superbi luget Aeëtæ domus,
Et regna Peliæ scelere Medeæ iacent:
Quæ sæuum ingenium variis inuoluens modis
Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hîc cæde patris Peliadum infecit manus.
Quid tibi videtur? hoc quoque insulsum est, ais,
Falsoque dictum: longè quia vetustior
Aegea Minos classe perdomuit freta,
Iustoq; vindicauit exemplo impetum.
Quid ergo possum facere tibi, lector Cato,
Si nec fabellæ te iuuant, nec fabulæ?
Noli molestus esse omninò literis,
Maiorem exhibeant ne tibi molestiam.
Hoc illis dictum est, si qui stultitiam nauseant,
Et vt putentur sapere cœlum vituperant.

LXV.

SERPENS AD FABRVM FERRARIVM.

MORDACIOREM *qui improbo dente adpetit,*
Hoc argumento se describi sentiat.
IN *officinam Fabri venit vipera:*
Hæc cum tentaret, si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contrà contumax:
Quid me, inquit, stulta dente captas lædere,
Omne adsueui ferrum quæ conrodere?

LXVI.

VVLPIS ET CAPER.

HOMO simul ac venit in magnum periculum,
Effugium reperire alterius quærit malo.
CVM decidisset Vulpis in puteum inscia,
Et altiore clauderetur margine,
Deuenit Hircus sitiens in eundem locum:
Simul rogauit, esset an dulcis liquor
Et copiosus? Illa fraudem moliens:
Descende, amice: tanta bonitas est aquæ,
Voluptas vt satiari non possit mea.
Immisit se barbatus. tum vulpecula
Euasit puteo, nixa celsis cornibus,
Hircumq; clauso liquit hærentem vado.

LXVII.

DE VITIIS HOMINVM.

PERAS imposuit Iupiter nobis duas.
Propriis repletam vitiis post tergum dedit;
Alienis ante pectus suspendit grauem.
Hac re videre nostra mala non possumus:
Alij simul delinquunt censores sumus.

LXVIII.

FVR ET LVCERNA.

LVCERNAM fur accendit ex arâ Iouis,
Ipsumq; compilauit ad lumen suum.
Onustus qui sacrilegio cum discederet,

Repentè

Repentè vocem sancta misit Religio:
Malorum quamuis ista fuerint munera,
Mihiq; inuisa, vt non offendar subripi;
Tamen, scelestè, spiritu culpam lues
Olim, cum adscriptus venerit pœnæ dies.
Sed ne ignis noster facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto esse tale luminis commercium.
Itaque hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucernâ fas est accendi sacrum.
Quot res contineat hoc argumentum vtiles,
Non explicabit alius quàm qui reperit.
Significat primò, sæpe quos ipse alueris,
Tibi inueniri maximè contrarios.
Secundum ostendit, scelera non irâ Deûm,
Fatorum dicto sed puniri tempore.
Nouißimè interdicit, ne cum malefico
Vsum bonus consociet vllius rei.

L X I X.

MALAS ESSE DIVITIAS.

OPES *inuisæ meritò sunt forti viro,*
Quia diues arca veram laudem intercipit.
COELO *receptus propter virtutem Hercules,*
Cum gratulantes persalutasset Deos,
Veniente Pluto, qui Fortunæ est filius,
Auertit oculos: causam quæsiuit Pater.
Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulq; obiecto cuncta corrumpit lucro.

LXX.

DE LEONE REGNANTE.

VTILIVS *homini nihil est, quàm rectè loqui.*
Probanda cunctis est quidem sententia;
Sed ad perniciem solet agi sinceritas.
Cum se ferarum regem fecisset Leo,
Et æquitatis vellet laudem consequi,
A pristinâ deflexit consuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorruptâ iura reddebat fide:
* * * *
* * * *
* * * *
Postquam lauare cœpit pœnitentiâ
A fictione veretri linguam mulieris:
Adfinitatem traxit inde obscœnitas.

LXXI.

IDEM.

ROGAVIT *alter, tribadas & molles mares*
Quæ ratio procreasset: exposuit senex.
Idem Prometheus auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad Fortunam frangitur,
Naturæ partes, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox vt posset corporibus suis;
Ad cœnam est inuitatus subito à Libero:
Vbi inrigatus multo venas nectare,
Serò domum est reuersus titubanti pede.

Tum

Tum semisomno corde, & errore ebrio,
Adplicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra applicuit feminis.
Ita nunc libido prauo fruitur gaudio.

LXXII.

DE CAPREIS BARBATIS.

BARBAM *Capella cum impetrasset à Ioue,*
Hirci mœrentes indignari cœperant,
Quod dignitatem feminæ æquassent suam.
Sinite, inquit, illas gloriâ vanâ frui,
Et vsurpare vestri ornatum muneris,
Pares dum non sint vestræ fortitudinis.
Hoc argumentum monet, vt sustineas, tibi
Habitu esse similes qui sunt virtute impares.

LXXIII.

DE FORTVNIS HOMINVM.

CVM *de fortunis quidam quereretur suis,*
Æsopus finxit consolandi gratia:
VEXATA *sæuis nauis tempestatibus,*
Inter vectorum lacrymas & mortis metum,
Faciem ad serenam subitò mutatur dies.
Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiâque nautas hilaritate extollere.
Factus periculo tum gubernator sophus;
Parcè gaudere oportet, & sensim queri.
Totam quia vitam miscet dolor & gaudium.

LXXIV.

CANVM LEGATI AD IOVEM.

CANES *legatos olim misêre ad Iouem,*
Melioris vitæ tempus oratum suæ,
Vt sese abriperet hominum contumeliis,
Furfuribus sibi conspersum quòd panem darent,
Fimoq; turpi maximam explerent famem.
Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
Citati non respondent: vix tandem inuenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum verò vultum magni vt viderunt Iouis,
Totam timentes concacarunt regiam.
Propulsi verò fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
Mirati sibi legatos non reuertier,
Turpe æstimantes aliquid commissum à suis,
Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
Rumor legatos superiores prodidit:
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum sed multo replent:
*Mandant * dimittuntur statim*
Adeunt: rogantes, aditum continuò impetrant.
Consedit Genitor tum Deorum maximus,
Quassatq; fulmen. tremere cœpêre omnia.
Canes, (confusus subitò quod fuerat fragor,)
Repentè odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes, vindicandam iniuriam.
Sic est locutus ante pœnam Iupiter:
Non est legatos regis non dimittere,

Nec

Nec est difficile pœnas culpæ imponere;
Sed hoc feretis pro iudicio præmium:
Non veto dimitti; verùm cruciari fame,
Ne ventrem continere non poßint suum.
Illi autem qui miserunt vos tàm futiles,
Nunquam carebunt hominis contumeliâ.
Ita nunc legatos expectantes posteros,
Nouum venire cum videt, culum olfacit.

LXXV.

SERPENS. MISERICORDIA NOCIVA.

QVI *fert malis auxilium, post tempus dolet.*
Gelu rigentem quidam colubram sustulit,
Sinuq; fouit, contra se ipse misericors.
Namq; vt refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

LXXVI.

VVLPIS ET DRACO.

VVLPIS *cubile fodiens, dum terram eruit,*
Agitq; plures altius cuniculos,
Peruenit ad Draconis speluncam vltimam,
Custodiebat qui thesauros abditos.
Hunc simul aspexit, oro vt imprudentiæ
Des primùm veniam: deinde, si pulchrè vides,
Quàm non conueniens aurum sit vitæ meæ,
Respondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quódve tantum est præmium,

Vt careas somno & auum in tenebris exigas?
Nullum, inquit ille: verùm hoc à summo mihi
Ioue adtributum est. Ergo nec sumis tibi,
Nec vlli donas quicquam? Sic fatis placet.
Nolo irascaris, liberè si dixero:
Diis est iratis natus qui est similis tibi.

LXXVII.

IN AVARVM.

ABITVRVS *illuc quo priores abierunt,*
Quid mente cæca miserum torques spiritum?
Tibi dico, auare, gaudium heredis tui,
Qui ture Superos, ipsum te fraudas cibo:
Qui tristis audis musicum citharæ sonum,
Quem tibiarum macerat iocunditas,
Opsoniorum pretia cui gemitum exprimunt:
Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas sordido periurio.
Qui circumcidis omnem impensam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

PHÆDRVS.

QVID *iudicare cogitet liuor modò,*
Licet dissimulet, pulchrè tamen intellego.
Quicquid putabit esse dignum memoriæ,
Æsopi dicet: Si quid minus adriserit,
A me contendet fictum quouis pignore:
Quem volo refelli iam nunc responso meo:
Siue hoc ineptum, siue laudandum est opus,
Inuenit ille; nostra perfecit manus.
Sed exsequamur cœptum propositi ordinem.

DE

LXXVIII.

DE SIMONIDE.

HOMO doctus in se semper diuitias habet.
SIMONIDES, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire cœpit vrbes Asiæ nobiles,
Mercede accepta laudem victorum canens.
Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu pelagi.
(Erat autem natus, vt aiunt, in Cæo insula)
Ascendit nauem: quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissoluit mari.
Hi zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitæ. quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. tunc pauci enatant,
Quia plures onere degrauati perierant.
Prædones adsunt: rapiunt quod quisque extulit;
Nudos relinquunt. forte Clazomenæ prope
Antiqua fuit vrbs, quam petierunt naufragi.
Hic literarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpe versus legerat,
Eratq; absentis admirator maximus,
Sermone ab ipso cognitum, cupidissime
Ad se recepit, veste, nummis, familiâ
Hominem exornauit: Ceteri tabulam suam
Porrigunt, rogantes victum, quos casu obuius
Simonides, vt vidit: dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis, periit.

LXXIX.

MONS PARTVRIENS.

MONS parturibat gemitus immanes ciens,
Eratq; in terris maxima expectatio,
Quid ille pareret; at ille murem peperit.
* * Hoc scriptum est tibi,
Qui magna cum minaris, extricas nihil.

LXXX.

FORMICA ET MVSCA.

NIL agere quod non prosit, fabella indicat.
FORMICA & Musca contendebant acriter,
Quæ pluris esset. Musca sic cœpit prior:
Conferre nostris tu potes te laudibus?
Vbi immolatur, exta prægusto Deûm:
Moror inter aras: templa perlustro omnia
In capite regis sedeo, cum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula:
Labore nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?
Est gloriosus sanè conuictus Deûm,
Sed illi qui inuitatur, non qui inuisus est.
Reges commemoras, & matronarum oscula:
Ego granum in hiemem cum studiosè congero,
Te circa murum video pasci stercore.
Aras frequentas: nempe abigeris quo venis.
Nihil laboras: ideo cum opus est nil habes.
Superba iactas, tegere quod debet pudor.
Aestate me lacessis; cum bruma est, siles:

Mori

Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profectò retudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum qui se falsis ornant laudibus;
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

LXXXI.

POETA.

QVANTVM *valerent inter homines literæ,*
Dixi superius: quantus nunc illis honos
A superis sit tributus, tradam memoriæ.
SIMONIDES, *idem ille de quo retuli,*
Victoris laudem cuidam pictè vt scriberet,
Certo conduxit pretio. secretum petit:
Exigua cum frenaret materia impetum,
Vsus poëtæ moris est licentia,
Atque interposuit gemina Ledæ sidera,
Auctoritatem similis referens gloriæ.
Opus adprobauit: sed mercedis tertiam
Accepit partem; Cum reliquam posceret;
Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duæ.
Verum vt ne iratè dimissum sentiam;
Ad cœnam mihi promitte; cognatos volo
Hodie inuitare, quorum es in numero mihi.
Fraudatus quamvis & dolens iniuriâ,
Ne malè dimissam gratiam corrumperet,
Promisit. rediit horâ dictâ: recubuit.
Splendebat hilare poculis conuiuium:
Magno apparatu læta resonabat domus;
Repentè cum duo iuuenes, sparsi puluere,

Sudore multo defluentes corpora,
Humanam supra formam, cuidam seruulo
Mandant, vt ad se prouocet Simonidem:
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promôrat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subitò oppressit ceteros;
Nec vlli iuuenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

IDEM POETA.

SVPERSVNT *mihi quæ scribam, sed parco sciens:*
Primùm, esse ne tibi videar molestior,
Destringit quem multarum rerum varietas:
Dein si quis eadem fortè conari velit,
Habere vt possit aliquid operis residui:
Quamuis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber vt desit, non fabro labor.
Breuitatis nostræ præmium vt reddas, peto,
Quod es pollicitus; Exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est cotidie:
Et hoc minus veniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, vsus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cœpero.
Languentis æui dum sunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse beneficium vtile,
Et mors vicina flagitabit debitum

Stultum

Stultum admonere tibi preces existima,
Procliuis vltrò cum sit misericordia.
Sæpè impetrauit veniam confessus reus;
Quanto innocenti iustiùs debet dari?
Tuæ prius sunt partes: aliorum dein:
Simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac indicio tuo.
Excedit animus, quem proposuit terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sinceræ conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requiris? Apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio periculum est;
*Dum sanitas constabit, pulchrè * memini.*

POETA AD PARTICVLONEM.

C VM *destinassem terminum operis * habere*
In hoc, vt aliis esset materiæ satis,
*Consilium tacito corde damnaui; **
*Nam si quis talis etiam est tituli **
Quo pacto damnabit, quidnam omiserim,
Vt illum ipsum cupiam famæ tradere:
Sua cuique cum sit animi cogitatio
Colorque propior. ergo non leuitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æsopias non Æsopi nomino,
Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero,
Vsus vetusto genere; sed rebus nouis

Sudore multo defluentes corpora,
Humanam supra formam, cuidam seruulo
Mandant, vt ad se prouocet Simonidem:
Illius interesse, ne faciat moram.
Homo perturbatus excitat Simonidem.
Vnum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ subitò oppressit ceteros;
Nec vlli iuuenes sunt reperti ad ianuam.
Vt est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

IDEM POETA.

SVPERSVNT *mihi quæ scribam, sed parco sciens:*
Primùm, esse ne tibi videar molestior,
Destringit quem multarum rerum varietas:
Dein si quis eadem fortè conari velit,
Habere vt posit aliquid operis residui:
Quamuis materia tanta abundet copia,
Labori faber vt desit, non fabro labor.
Breuitatis nostræ præmium vt reddas, peto,
Quod es pollicitus; Exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior est cotidie:
Et hoc minus veniet ad me muneris,
Quo plus consumet temporis dilatio.
Si citò rem perages, vsus fiet longior:
Fruar diutius, si celerius cœpero.
Languentis æui dum sunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus est: olim senio debilem
Frustra adiuuare bonitas nitetur tua,
Cum iam desierit esse beneficium vtile,
Et mors vicina flagitabit debitum

Stultum

Stultum admonere tibi preces existima,
Procliuis vltrò cum sit misericordia.
Sæpè impetrauit veniam confessus reus;
Quanto innocenti iustiùs debet dari?
Tuæ prius sunt partes: aliorum dein:
Simili gyro venient aliorum vices.
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac indicio tuo.
Excedit animus, quem proposuit terminum;
Sed difficulter continetur spiritus,
Integritatis qui sinceræ conscius,
A noxiorum premitur insolentiis.
Qui sint requiris? Apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebeio periculum est;
*Dum sanitas constabit, pulchrè * memini.*

POETA AD PARTICVLONEM.

*CVM destinassem terminum operis * habere*
In hoc, vt aliis esset materiæ satis,
*Consilium tacito corde damnaui, **
*Nam si quis talis etiam est tituli **
Quo pacto damnabit, quidnam omiserim,
Vt illum ipsum cupiam famæ tradere:
Sua cuique cum sit animi cogitatio
Colorque propior. ergo non leuitas mihi,
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æsopias non Æsopi nomino;
Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero,
Vsus vetusto genere, sed rebus nouis

Quartum libellum dum vaciuè perleges,
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non poßit, obtrectet licet.
Mihi parta laus est, quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumq́; longâ iudicatis memoriâ.
In literarum plausum ire desidero.

Incipit
LIBER QVINTVS.

IDEM POETA.

ÆSOPI *nomen sicubi interposuero,*
Cui reddidi iam pridem quicquid debui,
Auctoritatis esse scito gratia:
Vt quidam artifices nostro faciunt seculo
Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
Si marmori adscripserunt Praxitelem, suo
Detrito, Myronem argento. Fabulæ exaudiant.
Adeò fugatæ. Plus vetustis nam fauet
Inuidia mordax quàm bonis præsentibus.
Sed iam ad fabellam talis exempli feror.

LXXXII.

DEMETRIVS REX ET MENANDER POETA.

DEMETRIVS *qui dictus est Phalereus,*
Athenas occupauit imperio improbo.
Vt mos est vulgi, paßim & certatim ruunt,

FELICITER *subclamant ipsi principes:*
Illam osculantur, qua sunt oppreßi, manum,
Tacitè gementes tristem fortunæ vicem.
Quin etiam resides & sequentes otium,
Ne defuisse noceat, repetunt vltimi;
In queis Menander nobilis Comœdiis,
Quas, ipsum ignorans, legerat Demetrius,
Et admiratus fuerat ingenium viri,
Vnguento delibutus, vestitu adfluens,
Veniebat gressu delicato & languido.
Hunc vbi Tyrannus vidit extremo agmine:
Quinam cinædus ille in conspectu meo
Audet venire? responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. mutatus statim



LXXXIII.

Et vindicauit sese forti dexterâ.
Latrone occiso timidus accurrit comes,
Stringitq; gladium: dein reiecta penula:
Cedò, inquit, illum; iam curabo, sentiat
Quos adtentarit. tunc, qui depugnauerat:
Vellem istis verbis saltem adiuuisses modò,
Constantior fuissem, vera existimans.
Nunc conde ferrum & linguam pariter futilem,
Vt poßis alios ignorantes fallere.
Ego, qui sum expertus, quantis fugias viribus,
Scio quod virtuti non sit credendum tuæ.
Illi adsignari debet hæc narratio,
Qui re secundâ fortis est; dubiâ fugax.

LXXXIV.

CALVVS ET MVSCA.

CALVI *momordit musca nudatum caput:*
Quam opprimere captans, alapã sibi duxit grauem.
Tunc illa inridens: Punctum volucris paruulæ
Voluisti morte vlcisci, quid facies tibi,
Iniuriæ cam qui dederis contumeliam?
Respondit: Mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te contemti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel maiore incommodo.
Hoc argumentum, veniam mage dari docet,
Qui casu peccat, quàm qui consilio est nocens.
Illum esse quauis pœnâ dignum iu[dico].

LXXXV.

ASINI ET PORCELLI.

QVIDAM *immolasset verrem cum Sancto Herculi,*
Cui pro salute votum debebat sua,
Asello iußit reliquias poni hordei.
Quas aspernatus ille, sic locutus est:
Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
Nisi qui nutritus illo est, iugulatus foret.
Huius respectu fabulæ deterritus,
Periculosum semper reputaui lucrum.
Sed dicis: qui rapuère diuitias habent.
Numeremus, agedum, qui deprehensi perierint:
Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

SCVR-

LXXXVI.

SCVRRA, RVSTICVS.

PARVO *fauore labi mortales solent,*
Et pro iudicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi.
FACTVRVS *ludos quidam diues nobilis,*
Proposito cunctos inuitauit præmio,
Quam quisque posset, vt nouitatem ostenderet.
Venêre artifices laudis ad certamina:
Quos inter Scurra notus vrbano sale,
Habere dixit se genus spectaculi,
Quod in theatro nunquam prolatum foret.
Dispersus rumor ciuitatem concitat:
Paulò ante vacua turbam deficiunt loca.
In scenâ verò postquam solus constitit,
Sine apparatu, nullis adiutoribus,
Silentium ipsa fecit expectatio.
Ille in sinum repentè demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus suâ,
Verum vt subesse pallio contenderent,
Et excuti iuberent. quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemq; plausu prosequuntur maximo.
Hoc vidit fieri Rusticus: Non mehercule
Me vincet, inquit: & statim professus est,
Idem facturum melius se postridie.
Fit turba maior: iam fauor mentes tenet,
Et derisuri, non spectaturi sedent.
Vterque prodit. Scurra degrunnit prior,
Mouetq; plausus & clamores suscitat.

Tunc simulat sese vestimentis Rusticus
Porcellum obtegere, quod faciebat scilicet.
Sed in priore quia nil compererat latens
* * *
Peruellit aurem vero, quem celauerat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.
Adclamat populus: Scurram multo similius
Imitatum, & cogit Rusticum trudi foras.
At ille profert ipsum porcellum è sinu,
Turpemq́, aperto pignore errorem probans;
En hic declarat, quales sitis iudices.

POETA AD PARTICVLONEM.

ADHVC *supersunt multa, quæ possim loqui,*
Et copiosa abundat rerum varietas:
Sed temperatæ suaues sunt argutiæ;
Immodica offendunt. Quare vir sanctissime
Particulo, nomen chartis victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certè breuitatem adproba,
Quæ commendari tantò debet iustius,
Quantò poëtæ sunt molesti validius.

LXXXVII.

CALVVS, ET QVIDAM PILIS DEFECTVS.

INVENIT *Caluus fortè in triuio pectinem.*
Accessit alter æquè defectus pilis;
HEIA, *inquit*, COMMVNE QVODCVNQVE EST LVCRI.
Ostendit ille prædam, & adiecit simul;
Superûm voluntas fauit, sed fato inuido:
Carbonem, vt aiunt, pro thesauro inuenimus.
Quem spes delusit, huic querella conuenit.

PRO-

LXXXVII.

PROCAX TIBICEN.

Vbi vanus animus aurâ captus friuolâ
Abripuit insolentem sibi fiduciam,
Facilè ad derisum stulta leuitas ducitur.
Princeps tibicen notior paulò fuit,
Operam Bathyllo solitus in scena dare.
Is forte ludis, non satis memini quibus,
Dum pecma rapitur, concidit casu graui
Nec opinans, & sinistram fregit tibiam,
Duas cum dextras maluisset perdere,
Inter manus sublatus, & multum gemens
Domum refertur. aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Vt spectatorum mos est & lepidum genus,
Desiderari cœpit, cuius flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.
Erat facturus ludos quidam nobilis
Et incipiebat Princeps abduci reum *
* *Ingredi à se reducit pretio precibus vt*
* *Tantummodo ipso ludorum ostenderet sese die.*
Qui simul aduenit, rumor de tibicine
Fremit in theatro: quidam affirmant mortuum;
Quidam in conspectum proditurum sine mora,
Aulæo misso, deuolutis tonitrubus,
Dij sunt locuti more translaticio.
Tunc chorus ignotum more ducto cantùum
Imposuit, cuius hac fuit sententia:
LÆTARE INCOLVMIS ROMA SALVO PRINCIPE.
In plausus consurrectum est: iactat basia

Tibicen

Tibicen, gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intellegit;
Magnoq; risu canticum repeti iubet.
Iteratur illud. homo meus se in pulpito
Totum prosternit. plaudit inludens eques:
Rogare populus hunc coronam existimat.
Vt verò cuneis notuit res omnibus,
Princeps ligato crure niuea fascia,
Niueisq; tunicis, niueis etiam calceis.

* * *

Superbiens honorem vidit diuinæ domus,
Ab vniuersis capite est protrusus foras.

LXXXIX.

TEMPVS.

C V R *sic volucri pendens in nouaculâ*
Caluus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occuparis teneas; elapsum semel
Non ipse possit Iupiter reprehendère:
Occasionem rerum significat breuem.
Effectus impediret ne segnis mora,
Finxère antiqui talem effigiem Temporis.

X C.

TAVRVS ET VITVLVS.

A NGVSTO *in aditu Taurus luctans cornibus,*
Cum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat vitulus quo se pacto plecteret:
Tace, inquit, ante hoc noui quam tu natus es.
Qui doctiorem emendat, sibi dici putet.

CANIS

XCI.

CANIS ET VENATOR.

ADVERSVS *omnes fortis veloces feras*
Canis, cum domino semper fecisset satis,
Languere cœpit annis ingrauantibus.
Aliquando obiectus hispidi pugnæ suis,
Adripuit aurem. sed cariosis dentibus
Prædam dimisit. hîc tunc venator dolens,
Canem obiurgabat. Cui senex contrà latrans,
Non te destituit animus; sed vires meæ.
Quod fuimus laudas; iam damnas quod non sumus.
Hoc cur, Filite, scripserim, pulchrè vides.

* * * * *
* * * *
* * * *

FABEL-

FABELLARVM ET Narrationum INDEX.

Prior numerus fabularum ordinem, alter paginam notat.

NOTA. *In hunc* INDICEM *tantum retulimus Fabulas & alias Narrationes horum* V. *librorum: non etiam Auctoris Procemia vel Epilogos, vel etiam mediis libellis insertas amicorum compellationes, vt* Eutychi, *Particulonis, aut cuiusuis lectoris. Eorum ergo* ἀπομνημόνευμα *huc ad finem reiecimus.*

IN

PHÆDRI


Fabulas,

CVNRADI RITTERSHVSII

BRVNSWICENSIS I. C.

NOTÆ.

F



Ad cl. v.

IOACHIMVM CAMERARIVM

Reip. Noriberg. Medicum celeberrimum,

CVNRADI RITTERSHVSII I. C.

Epistola Præliminaris,

De renouanda editione Fabularum PHÆDRI nuper à P. Pithœo repertarum:

In qua simul & de vsu Fabularum breuiter dissentur.



FABVLIS idem qui & Comœdiæ, atque Tragœdiæ, & Satyris, ac Mimis, imò (vt paucis absoluam) vniuersæ Poësi, scopus propositus est, quod tu Clarissime & eruditissime CAMERARI, non ignoras: emendare videlicet corruptos hominum mores, atque ad honestatis ac virtutis studium à vitiorum obscænitate traducere. Quam in sententiam hic ipse, cui præfamur, Phædrus, scribit in Prologo lib. I. *Libelli* (inquit) *mos est, quod prudentis vitam consilio monet.* Et lib. 2. *Nec aliud quicquã per fabellas quæritur, Quàm corrigatur error vt mortalium, Acuátque sese diligens industria.* Vide eundem & in Prologo lib. 3. Quanquam enim hoc ipsum Philosophia quoque illa virtutis indagatrix, vitiorumque expultrix perficere meditatur: hæc tamẽ apud multos mortales locum, quem debebat non inuenit, nec

ſcopum ſuum aſſequitur: quod non ipſius ſed hominum vitio fit. Amara enim ſunt vitioſis, ac malè viuentibus præcepta iuſtitiæ, aliarumque virtutum: quibus, vt D. Hieronymi verbis vtar, aſperam & inſuauem virtutis viam fecit nimia vitiorum cōſuetudo. Hi igitur ab illis abhorrent: ac vt ventriculus corruptus ſalubres cibos, ita ipſi ſalutaria præcepta reſpuunt, & continere nullo modo poſſunt, ſi nudè & directè ſineque inuolucro aut circuitione ipſis tradita fuerint. Quò reſpiciens & Chryſoſtomus Homilia 22. ad Epheſ. veriſsimè dixit, ὅτι αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν τῆς ἀρετῆς ἡ παραίνεσις πολὺ τὸ σκυθρωπὸν ἔχει: recteque hoc fecit Agathias Scholaſticus, is qui & hiſtoriam ſcripſit, in ſuo de Æſopo Epigrammate: φευκτὸν δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις. id eſt, Aſpera & præfracta correctio atque admonitio res eiuſmodi eſt, quam omnes fugiunt & auerſantur. Eruditè quoq. Iulius Pollux cap. 1. Onomaſtici ſui in eandem ſententiam ſcripſit: ἐπεὶ τὸ διδασκαλικὸν εἶδος ἀυχμηρόν ἐστι καὶ προσκορὲς, οὐδὲν ἄν τι κωλύοι προσθεῖναι καὶ μύθου γλυκύτητα εἰς ψυχαγωγίαν. Quia (inquit) nuda illa docendi præcipiendique ratio moleſtiam hominibus & ſatietatem adfert, nihil prohibet fortaſſe, quò minus ad perſuadendos ducendoſque hominum animos etiam fabulæ dulcedinem adhibeamus. Hac re animaduerſa, iam olim extiterunt ſummâ viri prudentiâ & eruditione præditi, qui amaritudinem illam, quantumuis ſalutarem, ſed quam non omnes ægroti ferre poſſent, variis condimentis, & ἡδύσμασι velut emendare, aut certè diſſimulare ac tegere niterentur, & mordax illud verum, quo teneriores animi facilè offenduntur, quaſi quodam tempera-

temperamento dulcedinis miscerent ac diluerent: quo scilicet gratiora subirent animos hominum præcepta virtutis, à quibus, si velut meraca propinarentur, multi propter vitiositatem infirmitatemque suam abhorrerent. Non aliter quàm vos medici soletis, cum amarum aliquod pharmacum imperantibus vestris propinatis. Circumlinitis enim pocula melle aut saccharo, vt amara remedia ab imprudentibus sine offensione educantur, dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi sub prætextu suauitatis occultat: quam rem suauiloquenti carmine Pierio exposuit Lucretius lib. 1. & 4. Bis enim eosdem versus, vt & aliâs fecit, reposuit. Sic autem ait:

——— Veluti pueris absinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Absinthi laticem, deceptaq; non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valescat:
Sic ego nunc. Quo nomine Agellius lib. 2. c. pen. Æsopum laudat, qui festiuos delectabilesque Apologos commentus, res salubriter ac perspicienter animaduersas in mentes animosq. hominum cum audiendi quadam illecebra induerit; non seuerè neque imperiosè, vt Philosophis mos est, præceperit, & censuerit, quæ vtilia monitu suasuque erant. Ad eandem igitur (vt dixi) metam contendunt Poëtæ & Fabularum inuentores cum Philosophis; sed aliis itineribus proficiscuntur. Hi sine inuolucris apertè & absque circuitione rem agunt; illi

ἐν αἰνιγμοῖς & velut per cuniculos: Hi directò; illi obliquè: hi denique præceptis maximè; illi exemplis, quibus plurimum homines plebeij mouentur, vt ait etiam Macrobius. & quidem exemplis fictis potiùs quàm veris. Hæc enim historicorum sunt. Vnde rectè ac verè hoc scripsit Plutarchus in lib. De audiendis Poëtis: τὸ τῆς ποιητικῆς μυθῶδες οὐκ ἀφιλόσοφόν ἐστιν. Et Philo Iudæus: παιδευταί εἰσιν οἱ ποιηταὶ τοῦ σύμπαντος καθάπερ ἰδίᾳ γονεῖς παιδὸς, καὶ οὗτοι τὰς πόλεις δημοσίᾳ σωφρονίζουσι. Aristophanes quoque in Ranis ait: δεξιότητος καὶ νουθεσίας ἕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητὴν, ὅτι βελτίους ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσι. Quæ ego de Poësi idcirco pluribus adscripsi, quod & huius principium ac velut anima sit Fabula, secundum Aristotelem.

Præterea Fabularum vtilitas etiam ex his quæ subiiciam, æstimari poterit. Omnes homines semetipsos nescio quomodo tàm peruersè & præposterè amant, vt etiam vitiis suis faueant, & blandiantur, sibique in peccatis facilè ignoscant, imò ea ne quidem agnoscant; reprehendi verò se & argui ab aliis ægrè ferant: magisque aliorum errata quàm sua delicta obseruent, animaduertant, ac rimentur, in propriis talpæ, in alienis Lyncei & Argi. Verissimè Symmachus (lib. 1. ep. 72.) *Fit sæpè vt iudicis seueritatē frangat affectio, & amicorum facta dictaq; eâ indulgentiâ censeamus, quâ plerumque singuli etiam vitia nostra diligimus.* Cumque alij ob facta & sequiora reprehenduntur, summa id cum voluptate audiunt, etiamsi ad ipsos quoque, ac fortasse multo iustius illa reprehensio posset accommodari. Quò pertinet fabella huius ipsius auctoris, de duabus

periś

peris seu manticis, cuique ab Ioue attributis: quarum in alteram posticam, à tergo suspensam, nostra vitia; in alteram, anticam, quæque conspectui nostro semper sit exposita, recondamus aliena. Eodem & Lamiarum Fabula spectat: quæ foris tantum oculatæ sint, domi verò oculos habeant reconditos. Quid quod multi etiam in manifestam prolabuntur impudentiam, cum directò & nominatim obiurgantur, vel officij admonentur, inque virtutis viam, vnde exorbitarant, reuocantur, *castigatiq; remordent*, secundum Iuuenalem: qui vel corrigi, vel certè minus improbi effici poterant, si quasi per alienum latus pungerentur, & aliud agendo monerentur. Hanc igitur ob rem Apologi & narrationes fabulosæ repertæ sunt, quibus exempla virtutum ad imitandum, & vitiorum ad fugiendum sub imaginibus alienarũ personarum, vel etiam brutorum animalium, nonnunquam & rerum animâ carentium proponerentur, & hominum, quibus cum sermo esset, vitia tectè reprehenderentur: qui fortasse resilirent & auersarentur monitorem, eiusque salutarem medicinam respuerent, phreneticorum instar, si quis sine circuitione cum ipsis agere vellet.

Vt profana hîc omittamus exempla, quid ego dicam de Apologo illo lepidissimo, qui Iudicum cap. 9. exstat, quo ibi Ioathan ad reprehendendos Sichimitas vtitur? Nónne hoc modo videmus Prophetam quoque Nathanem prudenter quasi per cuniculos quosdam aggredi Regem suum Dauidem, 2. Reg. 12. cum is duplici se scelere adstrinxisset? Vriæ nimirum & coniugali toro violato, & vitâ per dolum ereptâ? Proposito enim Apologo de

de paupere vnicæ ouiculæ domino, qua ipſum diues quidam πολύμηλος ſpoliauit, ipſum Dauidem facit iudicem: eiuſque deinde ſententiâ ipſummet condemnatum & conſtrictum tenet & iugulat ſuo quaſi gladio. Hunc enim homines morem habent, vt in vlciſcendis vitiis, quibus ipſi indulgent, acres ſint: quemadmodum grauiter & eleganter ſcribit Sex. Aurel. Victor, in Auguſto: qui cum eſſet luxuriæ ſeruiens, erat tamen eiuſdem vitij ſeueriſſimus vltor.

(*Peccantes alios taxare & carpere promtus*
In culpâ veniam dat ſibi quiſque ſuâ.)

Nonne (vt alia omittam) ad Apologum illum veterem (quem plebi Romanæ à Patribus in Auentinum ſecedenti propoſuit Menenius Agrippa) de membrorum corporis humani aut ſalutari concordiâ, aut exitioſâ diſcordiâ, ſæpe etiam ipſum Paulum Apoſtolum in diuinis ſuis Epiſtolis alludere videmus, & Chriſtianos ad mutuam conſenſionem caritatemque adhortari? Quem eundem Apologum ſcitè ad ſuum negotium accommodauit & Hadrianus Pont. Max. teſte Ioan. Sarisbarienſi, lib. 6. De nugis Curialium cap. 24.

Prouerbia quoque, & parabolæ, & adagiones, quibus ipſæ etiam ſacræ literæ ſcatent, ad eandem fermè claſſem referri poſſe videntur, ad occultam, inquam, illam, Philoſophiam, quæ dum aliud præ ſe fert, aliud interim reuera agit. Neque non eundem ſcopum ſpectant & Symbola atque Emblemata, (in quibus plurima ſumma ingenia ab Ægyptiorum Hieroglyphicis capto exemplo, vt opinor, ſeſe exercuerunt, maximeque Italorum: quorum tu

vestigia premens, clariss. CAMERARI, nobis iam tres dedisti abs te ex vniuersa rerum Natura collectas Emblematum & Symbolorum centurias; quartam quoq. breui, quod optamus & speramus, cum Deo propitio additurus.) Symbola inquam & Emblemata eundem cum Fabulis, cum Apologis, cum Poësi, cum Comœdia & Tragœdia, Satyris, Mimis, cum ipsâ denique magistrâ vitæ Philosophiâ, scopum spectant. Sunt enim hæc ad virtutem & saluté omnia, vt Terentiano vtamur verbo.

Ex his quæ attigi, manifesta est, opinor, Fabularum vtilitas: quæ tametsi institutioni puerili, eorumque hominum qui puerili sententiâ præditi sunt, maximè conueniunt: (Pueri enim φιλόμυθοι sunt, id est, fabulosarum narrationum studiosi, eoque magis, quo melius nati sunt, propter ingeneratam omnibus hominibus scientiæ cupiditatem, καὶ διὰ τὸ μιμητικὸν, vt est apud eundem Aristotelem) Tamen in viros quoque iam adscripti adhuc Fabulis magnoperè delectamur. Hinc est quod magnos sæpe Principes, Oratores, & Philosophos, & prudentes Consiliarios in grauissimarum rerum deliberationibus, fabulis atque apologis, valdè appositè & in loco vsos videmus. Possem exempla proferre ex Platone, Demosthene, Aristotele, Maximo Tyrio, & aliis præstantissimis scriptoribus: nisi plerisque ea nota esse arbitrarer. Vnicum duntaxat ex Tiberij Imp. historia indicare sufficiat. Quàm aptè profundi ingenij Princeps cum causam redderet, quare Præsides Prouinciarum vel Procuratores Cæsaris non facilè mutandos, nec nisi defunctis ferè successores dandos existimaret, Apologo

vsus est huiusmodi, teste Iosepho lib. 18. Antiquitat. Iudaic. Muscæ cateruatim aduolantes conuulnerati cuiusdam vlcera contexerant. Hunc quidam fortè præteriens miseratus, operam ei suam in muscis abigendis obtulit. Putabat enim præ virium imbecillitate ipsum eas depellere non posse. Orat saucius, vt se ita sineret. Mirante altero, quid esset, quòd ab hac molestiâ liberari nollet; respondet ille: Imò his depulsis maiore afficiar molestiâ & cruciatu. aliæ enim his succedent recentes muscæ, & famelicæ, quæ me iam antè malè habitum planè perdent. at istæ quæ mihi nunc insident, iam nonnihil remissius sugunt sanguinem, quo scilicet fermè exsaturatæ sunt. Sic ergo, inquit Tiberius, ego quoque Prouincialibus consulere cupio, ne multorum Præsidum rapinis, nimium vexentur & deglubantur: quod fieret omninò, si crebrò illi mutarentur, accedente ad innatam cupiditatem etiam citò decedendi metu. Malo igitur ditatos rapinis relinquere, quàm nouos substituere. Apologum hunc ab Æsopo mutuatus est Tiberius. Ille enim ad Samios cum patrocinium præstaret cuidam Trib. pl. qui capitis arcessebatur ob peculatum, similem quendam pro eius defensione Apologum attulit, de vulpe in voraginem delapsa, ac prohibente erinaceum, ne muscas caninas, à quibus obsidebatur, à se depelleret: vt auctor est Aristoteles lib. 2. Rhet. 20. Quàm concinnè autem Demosthenes, summus apud Græcos orator, Philippo Macedone Oratores sibi ab Atheniensib. dedi postulante, quòd negaret aliter quàm his remotis se cum ipsis fœdus facturum, dissuasit deditionem, vsus ad id consilium
Apologo

Apologo de lupis, pastoribus, & canibus. Pacti quondam fuerant lupi cum pastoribus, nihil se amplius hostile in oues molituros, si canes sibi à pastoribus dederentur, causa scilicet omnium malorum. Creduli pastores cum canes lupis dedidissent, experti sunt, præsidio orbatos ouiũ greges iam à lupis impunè inuadi atque laniari. Idem volebat intelligi euenturum etiam Atheniensib. à Macedone hoste, si Oratores ei dedidissent. Sic igitur veteres Fabulæ ad graues deliberationes sæpè accommodantur. Quosdam etiam nouarum inuentione Fabularum singularem ingenij & dexteritatis laudem nouimus consecutos. Ac memini ipse, tuum sororium, amicum meum, Esromum Rudingerum opt. ac iucundiss. senem, extremo illo velut actu vitæ suæ, quem inter nos in hac ipsa Acad. transegit, cum ipse ad alios docendos in publicum prodire non posset, quòd mente licet incolumi manibus tamen pedibusque captus ex Morauis rediisset, atque vt ipse de se loqui amabat, ἄχειρ καὶ ἄπους viuendum haberet, aditum ad se adolescentibus discendi cupidis libenter aperiret, suæque doctrinæ opes liberaliter cum ipsis communicaret: tunc ergo memini eum fabellarum adinuentione atque elaboratione senectutis incommoda, & morbi molestias sæpè fefellisse ac leniisse, cum fructus inde non exiguus ad multos, qui ipsi operam dare vellent, rediret. De patre tuo, Ioachimo Camerario Magno, quid dicam? quid de Gabriele Faërno? quid de Pantaleone Candido? quid de aliis? Quis enim nescit, quantum his Fabulæ debeant? Et Faërni quidem centum Fabulæ tanto sermonis nitore, tanta

carmi-

carminum venustate descriptæ sunt, vt si auctoris nomen præscriptum non haberent, vetustati se inserere posse videantur, adeò cum quauis erudita antiquitate certant, incertâ ac dubiâ palmâ. Tuus autem Pater si nullum aliud ingenij doctrinæque suæ monumentum nobis reliquisset (reliquit autem longè plurima & elaboratissima, quorum partim edita sunt, partim apud te non minus virtutū quàm librorum paternorum hæredem seruantur ἀνέκδοτα, ex quibus ipsum, quantus in omni eruditæ doctrinæ genere fuerit, æstimare possumus) vel ob vnicum illum Fabularum Æsopicarum libellum omnis eruditorum & elegantium hominum natio plurimum ei deberet. Itaque meritò libellus ille ab omnibus tanti fit, quanti par est fieri opus eruditum & limatum omni curâ, quod & ad linguam iuuentutis excolendam, & ad animos liberalis scientiæ copiâ implendos maximas adferre vtilitates potest. Sed de hoc in præsentia pluribus, ad te præsertim qui tuas tuorúmve licet verissimas laudes inuitissimus audire consueuisti, opus non est.

Ad PHÆDRI fabulas venio. Harum namque gratia hæc ad te præfari paulo altiùs repetito exordio placuit.

De hoc libello idem ego tecum & cum politiss. viro Iac. Bongarsio sentio, Elegantem esse cum primis, & florente etiam ac purâ linguâ Latinâ scriptum: (quæ paulo pòst multum à natiuâ illâ simplicitate suâ degenerauit:) ac supparem esse iudico hunc Phædrum Laberio ac Publio Syro Mimographis: abundare quoque optimis & ad vitam vtilissimis

lissimis sententiis, αὐτὸ, φασὶ, δείξει. Tantùm vellem in numeris ac legibus carminis Iambici paulo accuratior fuisset, in quibus palam est, eum satis neglegentem esse, ne dicam dissolutum. Sed Comicorum ille fortasse hac in re licentiam imitari voluit, nihilque circa numeros pensi habuit, dum purè atque emendatè loqueretur: in quo studio nemini facilè cedit. Hoc quoque non sine iudicio fecisse existimandus est: quòd ad fabularum descriptionem Iambos potissimum adhibere voluit. Hoc enim metri genus quàm minimè à quotidiano & naturali sermone recedit: adeoque ipsa natura (si Aristoteli credimus) id inuenit, ceu maximè accommodatum & proprium τῇ λέξει. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστί. σημεῖον δὲ τούτου· πλεῖστα γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. Plurimi (inquit) versus Iambici in familiari sermone à nobis nec aduertentibus proferuntur, ac velut excidunt nobis: Hexametri verò aut alij non item. Hinc Ausonius trimetriam pedestre opus exili stilo concinnatum vocat epist. ad Probum Præf. Præt. cui mittit Apologos,

Æsopiam trimetriam,
Quam vertit exili stilo
Pedestre concinnans opus
Fandi Titianus artifex.

Quem Titianum longè posteriorem Phædro nostro fuisse, & Scholam municipalé apud Visontionem & Lugdunum rexisse, discimus ex Ausonij Gratiarum actione. Hi igitur duo Iambicis ad Fabellarum expositionem vsi sunt versibus. Socrates tamen cum & ipse olim Æsopi Fabellas versibus exponere

exponere & commentari cœpiſſet, Elegiacum adhibere carmen maluit (vt eius fortaſſe exemplo poſtea apud Latinos fecit Auienus, cuius adhuc extat libellus) ac refertur hoc Socratis diſtichon à Diogene Laërtio:

Αἴσωπός ποτ' ἔλεξε κορίνθιον ἄστυ νέμουσι,
Μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

Hoc eſt:

Æſopum perhibent ciues docuiſſe Corinthi,
Virtutem populi ne ratione probent.

Cum igitur tanta ſit huius auctoris *μυθογράφου* bonitas: dolendum profectò eſt, tamdiu ipſum velut ſepultum iacuiſſe, adeoq́. vix nomine notum, abſque Auieno fuiſſet, qui eius meminit in Præfatione Fabularum ſuarum, quas Theodoſio Imp. inſcripſit. Ac immortalis gratia debetur magno illi antiquitatis vindici P. PITHOEO, qui Libertum hunc Augustalem non modò liberali manu iterum aſſeruit, ſed etiam vita redonauit: vtinam verò etiam vulnera ipſius perſanare omnia potuiſſet! Non minor tibi quoque, humaniſſime Camerari, & auctori tuo Iac. Bongarſio, debebitur gratia, ſi (quod opto & ſpero) cogitata executus fueris, & libellum hunc ad Tricaſſinum exemplar tuum Typographo alicui recudendum dederis publici boni cauſſa: quippe

Non minor eſt Virtus quàm quærere, parta tueri.

Ne verò fruſtra tuum exemplar ad nos miſeris, atque à me incentiuum quoddam habeas ad nouam editionem procurandam, dedi operam, vt nonnullis in locis paulo, niſi fallor, emendatior Phædrus tuus ad te rediret: quod tu ex Notis quas ſubiiciam, an aſſecutus ſim, ſi operæ eſt, arbitrabere.

Cum

Cum autem res ferè plerisque insuauis sit, circa lectionis tantùm vel emendationem vel varietatem occupari: vt dulcesceret harum Notarum lectio, adspersi illis passim ἡδύσματα quædam: nempe explicationem Antiquitatum quarundam, ad quas Phædrus passim allusit: Sententias etiam, quibus ad omnes vitæ partes vtilissimis & saluberrimis abundat, similium aliarum collatione illustraui. Qui quidem totus labor ad vtilitatem adolescentum à me susceptus est. Atque ecce vix hæc ita scripseram, cum à te mihi litteræ adferuntur, quibus CL. V. Petri Pithœi, cuius immortali beneficio & hic elegantissimus libellus nuper, & plurima alia venerandæ antiquitatis monumenta sæpè antehac edita sunt, abitionem mihi nuntias. Sic enim ex Galliis te accepisse ais, hunc virum immortalitate dignum fato functum esse. Itaque ego cum facilè intelligerem, quantam in eius occasu bonæ literæ iacturam fecerint, quasi attonitus tàm tristi nuntio, in verba quædam emmetra prorupi, eaque postea dum oda fieret, continuaui ac detexui: quæ forsitan hic subiicere haud alienum fuerit.

O luctuosum ipsis Camænis nuntium!
O flebilem omnibus bonis!
Pithœe téne abisse? dignum viuere
Plus trina secla Nestoris?
Et hoc, scio, omnis erudita, sentiens
Mecum, fatetur natio,
Æternitatem te merere tot libris,
Quos è tenebris eruit
Rei iuuandæ nata literariæ
Industria excellens tua.

Praeuidit

Præuidit hoc, prædixit olim & inclitæ
Diuina mens Cuiacij:
Te, te fore illum, qui fugam omni Galliæ
Musas parantes sistere,
Et è fuga Deas sua reprendere
Quiret suis laboribus,
Suadâ suâ, sumptu suo: & Magnum fore
Antiquitatis vindicem.
Et tu tamen tantus vir, heu! iam vixeris!
Sed viuis omni seculo,
Viuis, Pithœe: in fratre primùm te altero,
Quo non tibi tu carior:
Per te ipse deinde. namque tot meritis tuis
Parta est tibi immortalitas:
Latißimoq; censui Proserpinæ
Piæ Camanæ te eximent:
Tu Gallicanis vatibus cantabere,
Tria dum virebunt lilia.
Te Passerat! docta celebrabunt mele:
Te Christiani floridæ
Musæ canent; Antiquitatis vindicem
Cantu vehet te Scæuola,
Cui Sancta-Martha nomen inclytum dedit.
Te carmini intexet sacro
Thuanus ore grandiloquo intonans Epos.
Non, literarum illud decus,
Te præteribit optimus Casaubonus.
Te quisquis horum gloriæ
Comes per illa regna etiam Musas colit,
Vastata, eheu, Marte impio,
Mori vetabit, postumis tradens tuas
Laudes canendas seculis.

Nec

Nec muta gens Oenotriorum vatum erit,
Vel inclitorum Teutonum.
Pithœus vnus omnibus carmen dabis,
Ciens agona musicum.
Hos inter ipse quamlibet extremi loci
Hoc soluo debitum tibi:
Cui pace detur munere Dei perfrui, &
Felicitate perpeti.

Hæc ego tum veluti Parentalia summi viri modulabar: quæ te, Camerari doctissime, velim, vti & ceteras commentationes nostras, non inuitum legisse. Vale, Altorphij in Academia Norica. XVIII. Nouemb. cIↄ. Iↄ. XCVI.

IN PHÆDRI FABVLAS

Notæ.

PAG. 15 *mouet, monet*] ἀντανάκλασις elegans.

Fictis fabulis] Sic etiam loquitur p. 37. & p. 39. *fictis iocis:* exemplo Ciceronis, qui & de Offic. & alibi fictas & commentitias fabulas dixit.

Face inpr.] F. *fame improbâ.*

Iurgij causam intulit] Id est, rixam affectauit. Sicut sermonem, vel mentionem inferre Cicero & Liuius dixerunt.

P. 16. *Repulsus veritatis viribus*] ἰσχυρότατον γὰρ πάντων ἀλήθεια. Vincit super omnia verum. vide Polyb. Eclog. lib. 14. Æschinem contra Timarchum, & Ciceronem pro M. Cœlio. Prudentius : *vox veritatis testis extingui nequit.* Sed fortasse gratiam à lectoribus inibo, si & illorum verba adscripsero. Sic igitur ait grauiss. auctor Polybius Eclogis l. 14. καί μοι δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ μεγίστην αὐτῇ προσθεῖναι δύναμιν. πάντων γοῦν (fortè γὰρ) αὐτὴν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τοῦ ψεύδους ταττομένων· οὐκ οἶδ' ὅπως αὐτὴ δι' αὐτῆς εἰς τὰς φυλὰς εἰσδύεται τῶν ἀνθρώπων. καὶ ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτισθεῖσα τέλος αὐτὴ δι' αὐτῆς ἐπικρατεῖ καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος. Hoc est : *Videtur mihi Natura maximum Deum hominibus ostendisse veritatem, maximúmque ei attribuisse robur. Nam vt vt eam omnia oppugnent, interdum etiam omnes probabiles rationes eam inter mendacium collocent : tamen nescio quo pacto ipsa per se animos hominum subit; ac interdum quidem statim demonstrat, quantam vim habeat ; nonnunquam verò diu tenebris inuoluta tandem ipsa sua vi obtinet, ac mendacium superat.* Æschines autem ita: οὕτως ἰσχυρόν ἐστιν ἡ ἀλήθεια ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν. Quem locum ante oculos habuisse videtur M. Tullius cum pro Cœlio ista diceret: *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraq; fictas omnium insidias facilè se per se ipsam defendat!*

Ante hos sex menses] Eleganter apud Latinos παρέλκης pronomen

nomen *hos*. Designat autem proximè præcedens tempus.

Qui fictis causis innocentes opprimunt] Respicit statim initio opusculi ad suos aduersarios: de quibus infrà pleniùs. Similis Apologus de Fele & Gallo narratur. vide Faern. XLIII. Vbi hoc ponit ἐπιμύθιον:

Vim qui inferre parat, cupidus certusq; nocendi,
Frustra illum ratione premas, aut iure refellas.

Athenæ] Nota, Democratica licentia desinit ac migrat in tyrannidem. Rationes ex Politicis petendæ. Eleganter Cicero 2.de Diuinat. *Id enim ipsum à Platone Philosophiaq; didiceram, naturales esse conuersiones quasdam rerum publicarum, vt ea tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à singulis.* Sic easdem Athenas Demetrius quoque Phalereus aliàs occupauit imperio improbo: vt Phædrus noster ait infrà lib. 5. De Pisistrato autem, qua arte Athenarum acropolin bis occuparit, vide Herodotum lib. 1. Iustinum lib. 2. Plutarchum ac Laërtium in Solone. Eius posteri quoque Pisistratidæ dicti Athenis per XXXVI. annos imperitarunt, eiecti tandem à Lacedæmoniis duce Cleomene: de quo vide eundem Herodotum Terpsichore.

Æquis legibus] Vt scilicet in Democratia assolet: quam iuris æquabilitatem esse rem oppidò bonam putat Herodotus lib. 5. Contra tamen disputante Megabyzo & Dario apud eundem lib. 3.

Conspiratis factionum partibus] *Conspiratis*, actiuè accipe, pro, cum conspirassent partes. Sic ventus, pro eo qui venit: successa, id est, quæ successerunt; discessus, qui discessit; antecessus, pro eo qui antecessit. &c. Vide Verisimil. G. Schoppij lib. 2. c. 2.

Æsopus talem] Nisi ita in numeris dissolutus foret Phædrus, nihil vt pensi habeat, & hîc & aliis multis in locis dicere possemus τὸ s more veterum elidi. Sed neque Phædrum ego hoc spectasse puto, & illa qua ipse scripsit tempestate iam desierant hanc elisionem.

Missum] F. *immissum*. Sic erratum puto & apud Celsum lib 3. c. 12. *In his autem cum veterauerunt, vtilis fames non est*. videtur enim legend. *cum inueterauerunt*: vt mox c. seq. *Si res inueterauerit*. & c. 21. eod. lib. *At si malum inueterauerit, non sine magna molestiâ discutitur*. Sic & in l. 52. §. si quis ex sociis. D. pro socio: *sumptus qui in eam pensi sunt:*

videtur legendum, *impensi*. Taceo alia ex eodem fonte.

P. 17. *Singulas*] Pro, omnes. Sic infra aliquoties: vt p. 19. 30. 37. &c. Videndum igitur, ne Muretus iniuriâ suggillauerit Perionium, qui, singulis diebus, vel, annis dixerit, pro, quot diebus, quot annis.

Vocem præcludit metus] Eleganter, atque ex iis quæ in terrore fieri assolent, hoc dicit. Sic Virgilius Æneid. 2. *Vox faucibus hæsit*. Guntherus lib. 3. *Vix fauces in verba solutæ Vocis iter præstare valent*.

Vos quoque ciues] Interpono ô, *vos quoque, ô ciues*. metrum hoc exigit.

Tumens] Hinc natum prouerbium notiss. Alienis plumis se exornare: de vanitate & ἀλαζονείᾳ qua quis alienis bonis sese iactat & effert.

Immiscuit se pauonum formoso gregi) Omisso *se* legendum: *Immiscuit pauonum for. gr.* Alias redundat Versus. τὸ *se* ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus repetendum, non autem huc infarciendum fuerat.

P. 18. *Et quem. Nec quem*] Eleganter iungitur affirmatiua cum negatiuâ particula: vt apud Ciceronem sæpissimè.

Cum potente societas] Ea ex hac ipsa fabula appellata est à Cassio I C. Leonina societas, l. 29. si non fuerint. §. Aristo. D. pro socio. Huc pertinet fabula altera de olla ænea & fictili, quam hoc ἐπιμυθίῳ Faërnus clausit:

Potentiorum semper est vicinitas
Vitanda tenuioribus.

Et Scaliger eandem allusit Epidorpid. Lib. 1. tit. Par societas.

Ætate opibúsque atque animo para sodalem.
Ærea comitatu crepuit fictilis olla.

Propositum] Id est, propositionem: vt enunciatio, & enunciatum, idem valent.

P. 19. *O quanta species cerebrum non habet !*] Sic Homerus Odyss. θ.

οὕνεκά οἱ καλὴ θυγάτηρ, ἀτὰρ οὐκ ἐχέφρων.

Id est, *Filia pulchra ipsi fuerat, sed mentis egena*. Venustissimè exposuit etiam Gabr. Faërnus LXVI. & hoc Fabellam hanc Epimythio clausit: *Sordet honos formæ, nisi cui sapientia iuncta est*.

Quibus honorem & gloriam, Fortuna tribuit, sensum communem abstulit] Res secundæ animos hominum plerumque

fatigant

fatigant & infatuant, fitque tunc illud quod Psalmus ait 49. *Homo cum in honore esset, non intellexit. Comparatus est iumentis quæ intereunt.* Et quod Publius Syrus in Mimis: *Fortuna nimium quem fouet, stultum facit.*

Gruis] Antique pro grus: vt infrà *plebes* pro plebs. Et *vulpis* pro vulpes p. 20. 28. & 63. Sic alicubi legi, *turturis*, pro turtur. Sic *mentis* pro mens, & *pedis*, pro pes apud veteres reperio positum. Ennius Epicharmo, citante Prisciano: *Terra corpus est: at mentis ignis est.* Nævius apud Nonium: *Est pedis vnus ingens in naso.* Vidend. Giphan. Index Lucretianus in voce, Sanguinis.

Fecit medicinam] Sic infrà p. 22. Cicero ad Terentiam: *Ita sum leuatus, vt Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur.* lib. 14. ep. 7. Sic aliquoties & Symmachus noster.

Mercedem postulas] leg. *postules*. præcessit enim, *abstuleris*.

Pag. 20. *Sibi non cauere*] Cauere alicui propriè de Iurisconsulto dicitur, cum amicũ vel consultorem instruit monitis & consilio, ne suam conditionem faciat deteriorem, sed potius meliorem. Hinc Cicero in præfat. Topicorum ad Trebatium I C. *Cum tu mihi meisq; sæpe multa cauisses.* Eundem tamen sugillat in Epistolis: *Melius ei cauere volo, quàm ipse aliis solet.* Sic infrà de Offic. *In iure cauere & consilio iuuare.*

Sed de hoc vt & de cæteris duobus I.C^ti muneribus, vide Fr. Hotomanni libellum, quem Iurisconsultum inscripsit. Notum est autem illud Euripideum, quo & Cicero vtitur:

μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὐτῷ σοφός.
Odi sapientem qui sibi ipsi non sapit.

Ouidius quoque in Iurisconsultum amore captum ita ludit:

Illo sæpe loco capitur consultus amore.
Quiq; aliis cauit, nec cauet ipse sibi.

Mortis in solatio.] Quale illud est Solatium? Nempe hoc παραμυθίαν γὰρ φέρει τὸ κοινωνοὺς εἶναι τῶν συμφορῶν: vt ait D. Chrysostomus. Hom. 10. Epist. 1. ad Tim. Et vulgo quoq. sententia nota est: *Solatium esse miseris, habere calamitatum socios.* Hinc illud in Consolationibus τῶν ἔξω frequentissimum, Non tu solus: Non tu primus, neque vltimus es, cui hæc accidant. Quæ tamen reuera misera & frigida consolatio est. Symachus lib. 8. epist. 27. *Aduersa quæ cum plurib. perferimus, more ingenij humani habent aliquod de societate solatium*

tium: Quæ verò ſpeciatim alicui caſus durus adiecit, altius imprimi ſolent.

Etiamſi verum dicit amittit fidem] Hoc Ariſtoteles quoque aiebat, lucri facere mendacem; vt ne vera quidem dicenti quiſquam credat.

Culpæ proximam] Culpæ affinem, vt Cicero loqui ſolet.

Iudex inter illos ſedit] Sedere proprium iudicum eſt: vt alias plurib. docui. Nunc vnicum Lactantij locum adduco è lib. 6. c. 18. *Sedet enim maximus & æquiſſimus iudex, ſpeculator ac teſtis omnium.*

Cauſam peroraſſent ſuam] Hoc quoque Ciceronianum eſt, vt totius libelli elegantiſſima eſt.

Non videris perdidiſſe] Videri, vel non videri, erat formula in ſententiis iudicum: de qua Cicero in Academ. 4. Briſſon. lib. 2. Select. Antiquitat. 1. c. & lib. 5. de Formulis. & ante hunc Budæus in annotat. poſteriorib. ad Pand. Item Cuiacius 3. Obſeru. c. 26.

Pag. 21. *Virtutis expers*] Virtus pro fortitudine, viribus & robore: vt infrà pag. 22.

Virtute & ſemper præualet ſapientia.

Quomodo & Theognis ἀρετῆς verbo vtitur in verſu valde ſimilis ſententiæ: κρεῖσσόν τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς. Sic p. 43. *Qui ſine virtute vanas exercet minas*: id eſt, ſinè viribus. Sic p. 71. 72. Sic vſurpat Statius Papinius, qua vſum ait Capaneum Thebaid. lib. 3. in illâ impiâ ſententiâ: *Virtus mihi numen, & enſis, quem teneo.*

Auriculas] τὸ u in penult. ſyllaba ſcandendo euaneſcit, quaſi ſcriptum foret *auriclas.*

Ferum] Ferus pro fera aliquoties à Phædro vſurpatur ſubſtantiuè: hic & infrà p. 36. de ceruo: mox p. 26. & 31. de leone: & p. 54. de apro. At Virgilius de equo vtitur Æn. 2. Quanquam idem & de ceruo.

P. 22. *Nulla prior ales*] Vſitatius eſt Poëtis ales genere maſculino. Aliquando tamen & feminino reperitur.

Quantum ingenium valet] De præſtantiâ ingenij multa notaui olim ad Oppianum, quæ huc conferri poſſunt. τὸ M. non eliditur hic ante vocalem. Exempla ſimilia ſunt apud Lucretium & Q. Serenum Sammonicum.

Virtute] Malim *virtuti.* Cæterum ſententia hæc manifeſtè

ſtè tranſlata eſt ex hiſce Ennianis verſibus :

Melius eſt virtute ius.

Nam ſæpe virtutem nanciſcuntur mali.

Ius atque æquum ſe à malis ſpernit procul.

Verboſis acquiſiuit ſibi famam ſtrophis] Vt ſolet illud agyrtarum & circumforaneorum genus non ſolùm famam ſed & rem facere: *Aures verbis ditant*

Alienas, ſuas vt auro locupletent domos:

Vt Accius vetus poëta de auguribus fecit, quibus nihil ſe credere ait. Verſus refert Nonius in Diuit. Et alius poëta Pacuuius hoc genus hominum cenſet magis audiendū quàm auſcultandum, id eſt, quàm eis obſequamur. Verſus eius ſunt apud Ciceronem in fine lib. 1. de Diuinat. quorum in primo legendum puto, *Nam iſtos*: vbi vulgò, *Nam iſtis*. Iſtos audiendum, Græciſmus eſt elegans: *ἀκουστέον αὐτούς*. Exempla ſimilia ex Plauto, Lucretio, Symmacho, iam ab aliis, præſertim Schoppio noſtro Veriſimil. lib. 3. cap. 3. ſunt obſeruata, quæ non compilabo : Sed iis & hoc addendum dico.

Pag. 23. *Commiſerit*] Rectè v. c. teſte Pithœo: *commiſit*, nam & metrum id poſtulat.

Quorum ſtultitiæ] Ordo hic eſt: Quorum impudentia eſt quæſtus ſtultitiæ, id eſt, qui per impudentiam ſuā quæſtum & lucrum faciunt apud homines ſtultos & imperitos.

Ne poſſint capi] Id eſt, ne caperentur. Sic infrà p. 27. *an cibo poſſit capi*. Plane vt Afranius apud Nonium. *Ni poſſent homines deliniımentis capi*: pro, Ni caperentur. Vide Schoppii noſtri Veriſimil. lib. 2. c. 20. & Gul. Canter. lib. 2. Nou. lect. c. 2.

P. 24. *Sponſore improbo*] F. legend. *Sponſu improbo*. aliàs enim claudicabit verſus.

Rapere atque abire] Obſerua elegans antitheton in abire & aduenire. Ita non erit cur *τὸ abire* mutes in *auere*: vt quidam præter rem argutus diuinabat.

Cum dies aduenerit] Iuridicè hoc quoque dictum eſt. Vid. l. 213. cedere diem. §. de verb. ſig. venire diem ſignificat, cum diem veniſſe quo pecunia peti poſſit.

Quem commendaſſe] F. legend. *commodaſſe*. Sic & apud Petronium videtur peccatum à librariis in illa de muliebri leuitate lepidiſſima fabella, cum ſcripſerunt : *Simúlque &*

 lacrimas

lacrimas commendabat lugenti. Aio enim, verum esse, *commodabat.* Vt præficæ lacrimas suas & planctum suum alienis mortuis locabant mercede: sic istam fidissimam ancillam eleganter dicit Petronius heræ suæ lacrimas commodasse: id est, in gratiam eius fleuisse vnà, vt ita ipsius alleuaretur dolor. Nimis frigida est illorum lectio, qui restituunt, *lacrimas commundabat lugentis.* Quasi verò tam fuerit languida aut delicata ista matrona Ephesina, aùt adeò defessa flendo, vt ei, tanquam infantibus solet fieri, lacrimæ ancillæ ministerio fuerint abstergendæ: Apage has ineptias. Quid? quòd & in libris Iuris Ciuilis hæc verba aliquando perperam fuisse permutata obseruauit Cuiacius & Petrus Pithœus in Notis ad fragm. Modestini sub tit. 10. libri qui inscribitur Lex Dei. Sin retineas *commendasse*, commendare est deponere, l. 24. & l. 26. D. depos. l. 186 commendare. D. de verb. sig. At commodare est idem quod vtendum dare. Repudiata est enim Labeonis sententia, qui aliquid inter hæc duo interesse putabat. Vlpian. lib. 1. §. D. Commod.

Peractis mensibus] Nouem scilicet, & decimo inchoato. Idem frequentissimum partus tempus. Varro Mysteriis *Nascimur enim spissius quàm emorimur. Vix duo homines x. mensibus edolatum vnum reddunt puerum. Contrà vna pestilentia, hostica acies puncto temporis immanes acervos facit.*

Humo] Pro humi.

P. 25. *Habent insidias hominis blanditiæ mali.*] De huiusmodi homine rectè vsurpabimus versum Lucillianum, *Quantò blandior, hoc tantò vehementius mordet.* refert Nonius in Improbus.

Preces admouit] Sic & infrà loquitur p. 50. & 69. & Ouid. lib. 3. eleg. 7. de Ponto:

Quàm, quas admorint non valuisse preces. Alia in hanc rem adfert Schoppius noster Suspect. lect. lib. 3. epist. 3.

Validius] F. *valdius*: vt bis apud Horatium. sic legerim & infrà p. 27. & p. 47. & p. 50. & p. 74.

Ad perniciem quoque mortales deuocat] Sic & infrà loquitur p. 42. *Successus ad perniciem multos deuocat.*

Ignauis] Ignauus, pro timido. congruit autem cum hac sententia illud quod est apud Ciceronem: *Vbi non sis qui fueris, non est cur velis viuere.*

P. 26. *Aper fulmineis dentibus*] Ouidius 10. Metam.

Fulmen

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.
Ausonius Monosyllabis historicis: *Cadis Adonëa mala gloria fulmineus sus.* Et idem Epist. 4. ad Theonem: *Stringere fulmineo venabula cominus hosti.* Quae de apro intelligenda esse, ex praeced. intelligitur: *Aut spumantis apri cursum clamoribus urges.* Oppianus noster lib. 3. Cyneget. v. 379. luculentis versibus hanc vim dentis aprugni, describit:

Ἔστι δέ τις κάπροιο φάτις περὶ, λευκὸν ὀδόντα
λάθριον αὐτὸς ἔχειν μαλερῇ πυρόεσσαν ἐνιπήν.
σῆμα δ' ἐφημερίοισιν ἀριφραδὲς ἐρρίζωται.
ὁππότε γὰρ πολὺς ὄχλος ἐπήτριμος ἀγρευτήρων
σὺν κυσὶν εὐτόλμοισι ποτὶ χθόνα θῆρα βάλωνται
αἰχμῇσιν δολιχῇσιν ἐπασσυτέρῃσι δαμέντα τις,
δὴ τότ' ἀπ' αὐχένος εἴ τις ἐθειράδος τρίχα λεπτὴν
θερμὸς ἔτ' ἀσθμαίνοντος ἐνιχριμφθεῖσαν ὀδόντι,
αἶψα μάλα σφαιρηδὸν ἀνέδραμεν αἰθομένη θρίξ.
καὶ δ' αὐτοῖσι κυνέεσσιν ἐπὶ πλευρῇσιν ἑκάστοθεν
ἔνθα σύες γενύων πέλασαν ἄιστες ὀδόντες
ἴχνια πυρσωθέντα διὰ ῥινοῖο τέτυκται.

Naturae dedecus] Sic eleganter vocat Asinum.

Bis videor mori] Ab aduersario magno vinci vel detrimentum accipere solatium quoddam est, & lenius ferri potest. Vnde illud apud principem Poëtarum: *Aeneae magni dextra cadis.* Et Ouid. 12. Metamor. *Quisquis es, ô iuuenis, dixit, solamen habeto Mortis, ab Aemonio quod sis iugulatus Achille.* Pulcerrime Accius in Armorū iudicio, referente Macrobio lib. 6. Saturnal. c. 1. *Nam trophaeum ferre me à forti viro pulchrum est. Sin autem & vincar, vinci à tali nullum est probrum.* At à vili & abiecto atque ignauo superari, summum probrum maximeque pudendum & dolendum est. Formula illa: *Bis mori*, vel *interimi*, vel *perire* quasi prouerbialis est, vsurpata etiam ab aliis: vt in Senario Mimographi: *Bis enim mori est, alterius arbitrio mori.* Et: *bis interimitur qui suis armis perit.* Sic p. 19. *Bis peccat.* Sic Publius Syrus: *Bis vincit, qui se vincit in victoriâ.*

Dedissem veniā supplici] Fort. scrib. *supplicI*, id est supplicij.

Reliquiis, quae] Nota, Reliquium & plurali reliquia etiam Neutro genere à Latinis dici, vt alimonium, deliquium. Sic muscipulum infrà, 53. nisi dicamus, pro *Quae* legendum *Quas.*

Imputare beneficium] Non est hoc loco acceptum referre, sed exemplum vel collatum alicui. Phrasis Senecæ & Plinio potius quam Ciceroni vsitata.

Leto dedit] Sic infrà p. 50. Sic in vet. formula mortuali: *Ollus est leto datus*, de qua Brisson. lib. 7. Formul.

Iactant imprudentibus] Lege, *iactat*. Similiter erratum erat infrà p. 49. *debent* pro *debet*.

Canis fidelis] Iac. Micyllus in carmine elegantissimo de Canibus: *Inter quadrupedes canis fidelis.*

Peritus inritos] Sic legendum. Typographus enim hæc deprauarat.

Possit] Malim *posset*.

Currentes bibere in Nilo] Malim, *è Nilo*. Notum est autem prouerbium : *Tanquam canis è Nilo* : de nimia festinatione.

P. 28. *Multandum simili iure*] Talione, κατὰ τὸ ἀντιπεπονθός. De quo iure Rhadamanti antiquus refertur ab Aristotele versus lib. 5. Eth. εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη ἰθεῖα γένοιτο, id est, *Si quis quod fecit patiatur ius erit æquum.* Ad quam faciem Crinagoras quoque 4. Antholog. scripsit in quendam: πέπονθας οἷ' ἔρεξας. ἐσθλὸν ἡ δίκη

Cum reuocasset] Vocare (vt Græcis φωνεῖν, vel καλεῖν : vt Hesiodus lib. 1.

τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει. quod versu præcedenti plenius dixerat ἐπὶ δαῖτα καλεῖν,) absolutè vsurpari de inuitatione ad conuiuium, iam ante obseruatum est à Iano Guilielmio & Fr. Modio nostro. Illud non item, Reuocare esse rursum inuitare eum, qui te conuiuam habuerit. Exemplo sit hic locus : cui addo Lactantium lib. 6. cap. 12. *Idem Deus precepit, vt si quando cœnam parauerimus, eos in conuictũ adhibeamus, qui reuocare non possint, & vicem reddere, vt omnis actus vitæ nostræ non careat misericordiæ munere.* Locus quem laudat est Luc. 14. μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι. Vbi vet. Interp. *ne fortè te & ipsi reinuitent*. Erasmus: *ne vicissim inuitent*: Beza: *ne vicissim vocent*. Sed omnium optimè reddidit Lactantius. Nam & Varro sic loquitur : vt apud Nonium videre est.

Peregrinam volucrem] Sic vocat Ciconiam, quæ & Publio Syro apud Petroniũ Arb. est *peregrina hospita Auis exul hiemis, titulus tepidi temporis.* Varro hoc genus aues aduenas

appellat

appellat (de re Rustica lib. 3. c. 5.) quibus vernaculas volucres opponit.

Sua quisque exempla] Sic aliàs dicitur, *Debere vnumquemque eam legem pati, quam ipse tulerit: Et quod quisque iuris in alterum statuerit, vt ipse eodem iure vtatur.* quod edictum summam habere æquitatem scribit Vlpian. lib. 1. D. Quod quisque iuris. Imo in hoc ferè summam iustitiæ consistere ait Lactantius lib. 6. cap. 23. & Epitom. c. 3.

Manes Deos] Monumentis inscribi solebat D. M. vel. D. M. S. *Diis manibus sacrum.* Vide Brisson. lib. 7. de Formul.

Sanctæ religioni] Sepulcrorum seu monumentorum. huc pertinet tit. D. de religiosis & sumpt. funer. Item quod Cicero in Topic. æquitatis partem vnam facit sanctitatem, quam ad Deos Manes dicit pertinere. Sic ex eodem Cicerone 4. de Repub. hæc refert Nonius: *Sic Pontificio iure sanctitudo sepulturæ.* Et Ioan. Chrysostomus homil. 13. ad Ephes. iusta mortuorum ait à Græcis τῶν ὁσίων τῶν ἀπελθόντων vocari. Modestinus IC. solemnia mortis appellat. Aliter autem Phædrus Sanctam religionem vsurpat infrà p. 58.

P. 29. *Destringunt*] Sic infrà p. 56. *nasute scripta distringis mea.*

Nocuum concitant periculum] Sic misericordiam nocuam dixit infrà. Plinius quoque hac voce vtitur: Et Guntherus meus: *nocuum & petulans vulgus.*

Demissis pedibus] Plautina & Ciceroniana locutio.

Inquinari nolo ignauo sanguine] Talis apud Guntherum nostrum lib. 2. v. 486. describitur generosus Leo: *Spernitq́ minori Tingere cæde genas, & vili sanguine pasci*

P. 30. *Pugnam taurorum*] Quomodo Tauri super excellentia & principatu armenti decertare soleant, & victus in siluam ac sola loca sese proripiat, vbi vires recuperet, ex pluribus auctoribus docui ad Oppianum. Vide Statium Papinium lib. 2. & 12. Thebaid.

Gregis] Gregem κατὰ χρηστικῶς dixit, pro armento.

Ratio est separata, ait, ac diuersum genus] Melior quidem est lectio, quam ex vetustissimo Cod. indicauit Pithœus. *Est ratio separata.* Sed tamen vel sic claudicat versus: cuius luxationem restitues, si τὸ *ait* remoueas, vt ex glossa interpositum. Vsitatissimæ sunt Phædro tales ellipses.

De reliquis] Lege, aut certè scāde, *reliquiis*: vt & infrà p. 67.

P. 31.

Pag. 31. *Locus*] Fort. *iocus*, nam & alibi, *fictis iocis*.

Sensus ut delectet varietas] Vt similitudo fastidium gignit, sic varietas delectationem adfert in quouis rerum genere. Vide Symmach.

Rependet illi breuitas gratiam] Quia χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ. Sed tamen & breuitate nimiâ quosdam offendi scribit p.47. Pro *Commendatio* procul dubio reponendum, *commentatio*. *Cuius verbosa commentatio nescit*, nimirum rependere gratiam. hoc enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum.

Retulit retro] Geminationem hanc bonis auctoribus familiarem esse docet Is. Casaubonus Animaduers. in Suetonium, & Brisson. libro Parerg. singul.

Pag. 32. *Vtcunque*] Suspicabar scripsisse Phædrum, *vtrinque*, id est, vtroque casu.

Ament, amentur] Id est, siue ament, siue amentur.

Pingi] Id est, *ornari*. Sic infrà, *pictè scribere* est ornatè scribere.

Canos euellerat] Congruit historia Iuliæ euelli sibi canos curantis, cui superuenit Augustus: vt est apud Macrobium.

Vehementis] Malim, *vehementi*. Fit autem συνίζησις primarum duarum syllabarū in vnam: vt apud Horat. 2. Ep. 2.

Vehemens & liquidus puróque simillimus amni.

Et apud Catullum de Nemesi:

Est vehemens Dea; lædere hanc caueto.

Successus improborum plures allicit] Sed finem respicere oportet, & cogitare, quàm sit omnis illa, quæ videtur, felicitas momentanea. *Citò improborum læta ad perniciem ruunt*: inquit Mimographus. Pulcerrimè Electra Euripidea:

Ne quis improbus, licet
Felice gressu primitus pergat benè,
Vicisse fas omne arbitretur se illicò.
Expectet vsque lineam dum ad vltimam
Peruenerit, vitæq; metam inflexerit.
Nam maximum ius fasq; robur obtinet.

Quæ cum sacrarū tabularū testimoniis mirificè congruunt.

Pag. 33. *Sus nemoris cultrix*] Fort. *nemoricultrix* vna voce composita. vt mox p. seq. alticinctos atrienses habebimus. Sic Catullus Galliambo siluicultricem ceruam & nemoriuagum aprum dixit. *Vbi Cerua siluicultrix, vbi aper nemoriuagus*. Similis planè est illa Publij Mimographi compositio qua

qua Ciconia ipsi pietaticultrix in versibus elegantiss. quos retulit Petronius in Satyrico:

Ciconia etiam grata, peregrina hospita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotalistria,
Auis exul hiemis, titulus tepidi temporis.
Nequitiae nidum in cacabo fecit meo.

Fortuitum] Penult. longa vt Horat. 2. carm. 15. *Nec fortuitum spernere cespitem.* Sic gratuitus.

Opprimat] Appone πλῶ παῖαν συγκλώ.

Terrore effuso] F. *offuso*, vt dicimus, nebulas vel caliginem vel tenebras offundere.

Periculo] Lege, *pericло*.

Direpit.] Proculdubio verum est quod Christoph. Colerus admonuit, *derepit*. Derepere est deorsum repere. Sic Degredi pro descendere est apud Salust. Liuium, Tacitum, atque Ausonium. Victorinus de Orthographia: *Degredi de superiore loco descendere.* Sic deripere est deorsum rapere vel trahere apud Plautum & Tibullum, aliosque, vt docet Giphanius in Lucret.

Suspenso pede] Sic suspēso gradu placidè ire dixit Terentius, Phormione, Sc. O fortuna. Ouid. 6. Fast: *Et fert suspensos corde micante gradus.* Idem 1. Fast. *gradus suspensus digitis.* Virgil. Ciri: *Tum suspensa leuans digitis vestigia primis.* Statius Papin. lib. 5. Sil. *aut leuiter suspenso poplite transi.* Sed & suspensa manu, dixit Plinius in Epistolis.

Pag. 34. *Occupata in otio*] ὀξύμωρον. Sic Mimus: *Amor otiosae est cura solicitudinis.*

Multa agendo nihil agens.] Mouens sed nihil promouens, vt ait Terentius. vel vt noster infrà p. 64.

Qui magna cum minatur extricat nihil.

Est autē elegās haec ὑπογραφὴ ardelionū: vt auari infrà p. 64.

Vera fabellis] Q. d. non fictis fabulis: vt suprà p. 15. & infrà, 37. & 39. Significat se hic veram expositurum historiam: vnde & temporis & loci περιστάσεις addit. Tales narrationes veras his fabellis immiscuit plures.

Posita Luculli manu] Nota res est. De huius substructionibus & aedificiis magnificis, vide Symmach. lib. 2. Ep. 59. vbi *opera Lucullana* iam pridem de coniecturâ correxi. Idem lib. 6. ep. 71. *Quaedam Lucullanis operib. aequanda fecisse.* E. lib. 7. ep. 36. *successisti in famam Luculli.* &c.

Alticin-

Alticinctis] ὑψιζώνοις. Horat. 2. Sat. 8. altecinctos pueros vocat seruos Nasidieni, volens intelligi strenuos, gnauos & industrios. Eosdem mox præcinctos dixit. Seneca Epist. lib. 4. de Mæcenate ait: *Altè cinctum putes dixisse. habuit enim ingenium grande & virile, nisi illud ipse discinxisset.* Opponitur altè cincto discinctus & dissolutus.

Domino: & mox, *Dominus*] Sic Imperatores appellabant: & Augustas seu vxores eorum Dominas. Oppianus 1. Cyneget.

τὸν μεγάλη μεγάλῳ φυτεύσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

Nonnulli tamen hanc appellationem sibi tribui vetuerunt.

P. 35. *Vis & nequitia quicquid oppugnant, ruit*] Sic Petronius: *Nihil est tàm arduum, quod non improbitas extorqueat.*

Propter volans] Id est, iuxta; vt apud Terentium propter dormire, est concumbere.

Fiscos cum pecunia] Nota, pecuniam veteres in fiscum, id est, corbem sparteum vel vimineum condebant, præsertim quæ maioris esset summæ quàm vt in bulgam zonámve rectè & commodè condi posset. Sic Cic. 2. Verr. *Reperiebam fiscos complures cum pecunia Siciliensi à quodam Senatore ad Equitem Rom. esse translatos.* Idem Verr. 5. *Ex fisco in cistam pecuniam transferre.* Ad quæ Asconius Pædianus sic annotat: *Sportæ, sportula, sportellæ, nummûm sunt receptacula, & sacci, sacculi, saccelli, & crumenæ, & velleæ & manticæ & marsupia.* Vide & Cuiac. ad tit. C. de iur. fisc.

P. 36 *Tuta est hominum tenuitas*] Sic Symmachus in Relatione lib. 10. Ep. 54. *Paupertas à dispendio tuta est.* Nec absimiliter Sallustius Coniurat. Catilin. *Egestas facilè habetur sine damno.* Festiuè in hanc sententiam Palladas lib. 1. Antholog. tit. εἰς πτωχοὺς: μηδέ ποτε ζήσας ὁ πένης βροτὸς οὐδ' ἀποθνήσκει.

Venatorum necem] Id est, à venatoribus ceruo inferendam. Planè vt Oppianus φόνον ἀγρευτήρων dixit.

Quietis cœpit agere gratias] Quietis scil. gratiâ vel nomine, id est, pro quiete. an, quietis bobus?

P. 37. *Dominum videre plurimum in rebus suis*] ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν, id est, *Namque lumen adium puto esse heri præsentiam.* Vt ait Æschylus in Persis. vide & Aristotelem Oeconomic. l. 1. c. 6. vbi refert apophthegma cuiusdam

cuiuſdam qui dixerit, Oculum domini eſſe qui maximè pinguefaciat equum. Plinius lib. 18. c. 6. *maiores fertiliſſimum in agro oculum domini eſſe dixerunt*. At contrà ſecundum Pomponium, *Longè ab vrbe villicarier, quò herus rarenter venit, Non villicarier, ſed dominari, meâ eſt ſententiâ*. Et ſimiliter Symmachus lib. 9. ep. 6. *Actores*, inquit, *abſentium, quibus res longinqua remittitur*, (f. *committitur*) *tanquam ſoluti legibus viuunt: quoniam procul poſitis nullus dominorum terror incurrit.* Huc & Plautinum illud facit: *Vbi ſummus Imperator ad exercitum non eſt*. Cum huius fabellæ argumento magnam habet cognationem apologus ille Æſopius de Caſſita & pullis eius ac domino ſegetis, in quo nidulabatur, deſcriptus ab Agellio lib. 2. c. 29. & à Gabr. Faërno. Claudit eum & obſignat vterque verſibus trochaicis Ennij, quos cordi & memoriæ habere operæ pretium eſt:

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promtu ſitum
Ne quid expectes amicos, quod tute agere poſſies.

Æſopo ingentem ſtatuam poſuêre Attici.] Statuæ huius auctorem fuiſſe nobiliſſimum illum ſtatuarium Lyſippum (à quo ſolo ſe fingi velle edixit Alexander Magnus) diſcimus ex Epigrammate Agathiæ Scholaſtici, qui Iuſtiniani Imp. æuo vixit. Id è libro 4. Anthologiæ tit. εἰς φιλοσόφους, εἰς εἰκόνα Αἰσώπου huc adſcribere placuit cum Latinâ verſione noſtra. Ex eodem hoc quoque diſcimus cum iidem Athenienſes etiã ſeptem Sapientibus Græciæ ſingulis ſuas collocaſſent ſtatuas, omnium maximum honorem eos habuiſſe Æſopo, eiusque ſtatuam ordine primam eſſe voluiſſe. Sic igitur Agathias:



εὖγε ποιῶν, Λυσίππε γέρον, Σικυώνιε πλάστα,
  δείκελον Αἰσώπου στήσαο τοῦ σαμίου.
ἑπτὰ σοφῶν ἔμπροσθεν. ἐπεὶ κεῖνοι μὲν ἀνάγκην
  ἔμβαλον, οὐ πειθὼ, φθέγμασι τοῖς σφετέροις.
ὃς δὲ σοφοῖς μύθοις καὶ πλάσμασι καίρια λέξας.
  παίζων, ἐν σπουδῇ πείθει ἐχεφρονέειν.
φευκτὸν δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις. ἡ σαμίου δὲ
  τὸ γλυκὺ τοῦ μύθου καλὸν ἔχει δέλεαρ.

Vellem pari ſuauitate hæc Latinis metris à me includi poſſe. Sed reddam vt potero:

Laudo te, Lyſippe, ſenex, Sicyonie ſculptor,
Æſopi effigiem quòd ſtatuis Samij

Ante

Ante Sophos septem; quibus omnia tradita duris
Legibus; in verbis suadáque nulla fuit.
Ast hic fabellis figmentisque omnia condit,
Per lusum suadens corda hominum vt sapiant.
Aspera præcepta auersamur. Fabula dulcis
Esca instar monitis additur à Samio.

Ne primus foret. Nec solus esset, studij quod superfuit] Sensus huic lectioni prorsus nullus inest, si vllus mihi. Quare sic eam restituendam censeo, vt pro *foret*, legamus *forem*: pro *Nec*, *Ne*: pro *studij studui*. Ita Phædrus hoc dicet: Quoniam alter (*Æsopus* scilicet) occuparat (id est, præuenit, anteuertit me: hoc enim est occupare, Græcè φθάνειν, vt Plautus Rud. *occupas præloqui*: & Pseudol. *occupes prior adire*) ne ego primus forem (fabularum scilicet inuentor) studui quod superfuit, h. e. in id incubui, id operam dedi, quod mihi relictum est, & quod proximum erat, ne ipse solus esset fabulator. Lacunam quæ hic præcedit, tale quippiam habuisse suspicor: *Ad eius exemplum ipse scribo fabulas.* Simile est illud nescio cuius elogium:

Cicero effecit, ne Demosthenes esset solus orator:
Demosthenes ne Cicero primus foret.

Ad aures peruenit tuas] Cicero, accidere ad aures, dicere amat. vt pro P. Sestio: *Nihil vt vnquam videretur tàm populare ad populi Rom. aures accidisse.* Et in Vatinium: *Non putas fas esse, verbum ex ore exire cuiusquam, quod non iucundum & honorificum ad aures tuas accidat.* vbi vulgò non rectè, *accedat*. Sic Accius apud Nonium: *Simul ac nota vox ad aures accidit.*

Sin autem ab illis] τὸ *Ab* superesse videtur. Sensus certè id respuit. Lege. *Sin autem illis*: vt τὸ M. non elidatur. vel: *Sin autem & illis.*

Corde durato] Id est, *obdurato*, vt Catullus loquitur. *pertendens animo*, vt Propert. lib. 2. *firmatâ mente*, vt Guntherus meus lib. 1. v. 408. Alludit autem ad sententiam versus Euripidei: τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας, θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν. hoc est, *Ferre fata Diuûm oportet, qui satus mortalis est.* vel: *A Diis decreta ferto, quisque natus est homo.* vel, vt ante nos vertit Georg. Ratallerus: *Quæ fata statuunt, ferre mortales decet.* Cui similiter Sophocles Philoctete: ἄκουσον· ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δοθείσας ἐστ' ἀναγκαῖον φέρειν. Addit ibidem antithesin malorum propria culpa attractorum.

ὅσοι

ὅσοι δ' ἑκουσίαισιν ἔγκειν) βλάβαις,
ὥσπερ σὺ, τούτους οὔτε συγγνώμην ἔχειν
δίκαιόν ἐστιν, οὔτ' ἐποικτείρειν τινά.

Id eſt, Interprete Q. Septimio Flor. Chriſtiano:

Aduerte: Quæ mortalibus
Fata inuehantur cœlitus, ne ceſſitas
Iubet illa ferre; at ſponte qui miſer ſibi
Accerſit vltrò incommodum, quod tu facis,
Nec miſericordiam ille, nec veniam meret.

Fortunam criminis pudeat] Quia vir bonus infelix, fortunæ crimen eſt, vt quæ innocentiæ ipſius iniuriã faciat. Aequum enim eſſe videtur, vt benè bonis ſit, malè malis: quod nunc abeſt: vt eſt in veteri verſu apud Ciceron. Vide carmen in Fortunam inter Catalect. Virg.

P. 38. *Otium des corpori*] Id eſt, corpus cures.

Vt ad ſuëtam] Leg. ὑφὲν, *adſuetam.* nam perſtare ad vicem ſuetam, parum Latinè dici arbitror. At perſtare vicem eleganter dictum, vt Perſeuerare aliquid Symmachus, & alij. Pithœus tamen ex v. c. aliam annotauit lectionem, *Preſſet.* Eſt autem totum hoc Procemium elegantiſſ. & ſatis liberum. Quis Eutychus iſte fuerit, qualeve officium aut qualem vicẽ in aula Tiberij ſuſtinuerit, non habeo compertum. Fortaſſe libertus aliquis potẽs fuit in aula Imp. vt & de Particulone & de Filito ſuſpicari libet, quos infrà cõpellat. Facit quidem Ioſephus lib. 18. Ant. Iud. duorũ mentionem libertorum & aurigarum, quibus Eutychis nomen fuit. Sed eorum alterutri hæc à Phædro ſcripta fuiſſe, vix auſim dicere.

Curam habendi] Sic amorẽ habẽdi Ouid. dixit auaritiam:
Tempore creuit amor, qui nunc eſt ſummus habendi. Et Horat. 1. ep. 7. *amore ſeneſcit habendi.*

Incubuerim] F. ſcripſerat Phædrus *incubuuerim.* Solebant enim veteres u. aliquando geminare metri cauſa. Exempla apud Plaut. & alios occurrũt. Sic inf. 51. legerim: *tribuuerit.*

Magnas opes exaggerare] Sic infrà p. 64. *Qui dum quadrantes aggeras patrimonio.* Quamquam ibi fortè, aggeras, eſt ab adgerere; non ab aggerare. Sic Cic. 1. De offic. *Exaggerare rem familiarem:* & 4. Catilinar. *aucta atque exaggerata fortuna.* Pari elegantia Petronius Arb. dixit extruere diuitias. *Qui ſolas extruere diuitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quàm quod ipſi tenent.*

H P. 39.

P. 39. *Vt dixit Sinon*] Alludit ad illa Æn. 2. *Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque fatebor Vera.*

Seruitus obnoxia] Intelligit Æsopum: qui Xantho Philosopho seruitutem seruiisse dicitur ære ipsius redemtus. Seruum autem hominem, vt Plautus alicubi ait, oculos, manus, linguam habere continentem oportet: plusque adeò ipsum scire quàm loqui decet. Est autem hæc sors communis seruo cum exule: de quo Polynices apud Euripidem interrogatus à matre, *τί φυγάσι τὸ δυσχερές*; quæ res maximè accideret molesta exulibus? respondet: *ἓν μὲν μέγιστον, οὐκ ἔχει παῤῥησίαν.* Illud, inquit, vnum omnium maximum, quòd liberè loqui non licet. Tum Iocasta: *Seruile hoc narras, non loqui quod sentias Audere. Δούλου τόδ' εἶπας, μὴ λέγειν, ἅ τις φρονεῖ.*

Illius semitâ feci viam] Quid inter hæc duo intersit, ex Ennij versu cognoscere licet, quem refert Cicero 1. De Diuinat. *Qui sibi semitam non sapiunt, aliis monstrant viam.* Sic Plautus Casina: *De via in semitam regredere.* Latior igitur via; angustior semita. Dicit ergo Phædrus, se *μυθοποιΐαν* ab Æsopo inuentam aliarum adinuentione fabellarum auxisse.

Neque enim notare singulos] Hoc est quod alius Poëta dixit: *Parcere personis, dicere de vitiis.* Et quid si hîc aliquis contendat legend. *Verùm ipsa vitia & mores h.* pro, *ipsam vitam &c.* Fateor tamen, Vitam & mores sæpè *ἐν παραλλήλῳ* iungi.

Threissa cum gens] Indicat Phædrus, se gente Thracem esse: ideoque Græciæ eruditionis parenti propiorem, quàm vel Æsopus Phryx vel Anacharsis Scytha. pro, *numeret auctores suos*, malim, *auct. Deos.* nempe Apollinem, & Musam, id est, Calliopen, quæ mater Orphei fuisse perhibetur.

P. 40. *Qui saxa cantu mouit*] Nota res de Orphei vi musicæ, vel ex elegantissimo illo Edyllio Cassij Parmensis, Poëtæ inter veteres Epicos eximij & Horatio æqualis: Quod quamuis iam sæpe sit editum, à nonnullis etiam negetur esse *γνήσιον*, factum potiùs tentandi gratia ab Achille Statio Lusitano: tamen hîc quoque Notis istis tanquam pulchrum quoddam emblema inserere visum est, subiectâ eius metaphrasi Græcâ, olim elaboratâ ab auunculo nostro doctissimo in gratiam virtutis eruditæ studiosorum adolescentum: quibus & nos hanc operam damus.

CAS-

CASSII PARMENSIS
ORPHEVS.

ARGVTA primùm cum plectra parentis, & auro
Distinctam sumpsit citharam Rhodopeius heros;
Ridebant segnes pulsus, digitosq; micantes
Serius, & chordis indocta dissona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti
Lusibus auertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Musa pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus: hinc illinc discens dependet utrinque.
Nulla Venus faciem cœpit mentita dolosis
Compedibus: somni fuerat, parcusq; Lyæi:
Donec, ridiculus dudum, modulamine siluas,
Euulsosq; suis scopulos radicibus egit:
Ausus & ire viam mortalibus inconcessam
Pœnarum oblitos demulsit carmine manes.
Non leuis adscensus, si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit: nocturno exsomnis oliuo
Immoritur: delet, quod mox laudauerat in se.
Qui cupit æterna donari frondis honore.

Poëmatij præcedentis metaphrasis Græca,

Auctore

MATTHIA BERGIO Brunswicensi.

Ὀρφέα φασὶ τὸ πρῶτον ἐπεὶ φόρμιγγα λίγειαν
μητρὸς ἑῆς ἔχευσε συνσφάδων μυκάδι φωνῇ,
πολλὸν τοῖς αἶνσι γέλων χλεύμας τε ἐπέρσαι
τοῦ μέλεος τῇ ἀμύσσῳ, ἐπεὶ ναθροῖσί τε νεῦρα
κρούσμασιν ἀμφαφάασαις, καὶ οὐδ' ἔτι ἑκηκότ' ἐπᾷδε.
Αἶψα δ' ὁμῶς αἰδοῖ τε τυπεὶς καὶ ἱμέρῳ ᾠδῆς
χαίρειν πόλλ' ἐκέλευσε τὰ παιδικὰ, καὶ φρέν' ἔτερψε

 παν-

παντήμαρ πρὸς μοῦσαν ὅσον σθένος· οὐχ ὅγε μητρὸς
οὔτε πατρὸς μεθιεὶς ὅτ' ἀοιδιάοντα ἰαύεν.
οὐδέ μιν ἁ δελέασσα πόθῳ δαλήσατο κύπρις,
οὐδ' ἐπέδαις σφιγχθέντ' ἀπὸ δέσμιον ἀλλαχόσ' ἦγε,
οὐχ ὁ διδοὺς βαθὺν ὕπνον ὀνειροπαῖς, οὐχ ὅγε τηδὺν
πολλὰ χαριζόμενος, μογέεσκε δὲ μοῦνον ἐπ' ᾠδῇ
καί τόθ' ὁ πρῶτα γελοῖος, ὁ μηδὲν ἀεροεργὰ φθέγξας
θεσπεσίας ἐνοπῇ καὶ ἀπειρίας ὕρισι πέτρας,
φηγούς τ' ἀγχιάδας ἀκτῆς ἐπὶ πλειθέωσας
σὺν ἔπι μαινομένους τε ἀπήγαγε θῆρας ἀγρῶτας.
τοῖς δ' ἔπι καὶ ζωοῖσ' ἄσειπτον ἔβαινε κέλευθον
ταίναρον ἠνίκ' ἔβη, σκοτίαν ὁδὸν, ἄϊδος εἴσω
μειλιχίῃ πυκινὸς κιθάρῃ, δι' ἔρωτ' ἀλόχοιο.
οὐδ' ἄρα καὶ χθονίων τὴν ἀπείθεια χῶρον ἔπεισε.
πρὸς τὰ μέγισθ' ἐκεῖσαν οὐ ῥᾳδία ἐστ' ἐπιβάθρα.
ἱδρὼς καὶ πόνος αἰρὸς ἐκεῖσ' ἀποπέμπεται ἄνδρα
ὃς καὶ ἀκοιμήτοισι κεκαρμένος ὀφθαλμοῖσι
ἐγκεκυφώς τε βίβλοισι, λύχνῳ τε κ' ἐλαίῳ ὀδωδὼς
πωθάζει θαμὰ τοῦτ' ἐν ἑαυτῷ ὅσος πρὶν ἐπῄνει.
ταῦτά γε ναλιμίας ἔρδων κλέος ἄρνυται ἐσθλόν.

Extat de eodem & in Catalectis Virgilianis Epigramma, continens huius allegoriæ expositionem. Id est eiusmodi:

Threicius quondam Vates fide creditur canorâ
Mouisse sensus acrium ferarum,
Atque amnes tenuisse vagos *
Et surda cantu concitasse saxa.
Suauisonoq; modo testudinis arbores secutæ
Vmbram feruntur præbuisse Vati.
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit,
Doctaq; vitam voce temperauit.
Iustitiam docuit, cœtu quoque congregauit vno,
Moresq; agrestes expoliuit Orpheus.

Candore noto] Ego, inquit, candore notus sum omnibus. Ergo te quoque de meis laboribus sincerè & candidè iudicare æquum est.

Anus ad amphoram] Prouerbium vetus est, *Anus ad armillum redit*, id est, ad vas vinarium. Vide Festum. Confer cum hac vinosam anum Plautinam, quam is describit Curculione, sc. Flos veteris vini.

Qualem bonam] Debuit dicere, quam bonam: Sed videtur

tur

tur de industria sic locutus esse, vt τὸ πρέπον in anu ebriosa & temulenta, cui lingua in vino nataret atque lapsaret, obseruasse videretur.

Tales eum sint reliquia] Ex prouerbio quo boni vini etiam feces bonæ esse perhibentur.

Qui me nouerit] Nempe iam senem. Sic senectutis suæ etiam alibi meminit, vt infrà p. 68. & 77.

P. 41. *In cubile*] Hoc est, latibulum ferarum. hinc metaphoricè à re venatoria cubilia causarum dicta sunt Ciceroni & Ammiano Marcellino lib. 30. *Vestigia sagacius colligendo, vt Spartani canes aut Cretes, ad ipsa cubilia peruenire causarum.*

Vos timere absistite] Id est, desinite. Exemplo Virgilij 6. Aen. *absiste moueri.* Et Columellæ lib. 12. c. 19. *nec absistat id facere.* Simili formâ alibi dixit Virgil. *absiste precando.* id est, precari. Aen. 8. Et Liuius, *absistere obsidendo*, id est, obsidere.

Læserant] F. *læserunt.*

Vsu peritus hariolo velocior] Prouerbium alibi à me non lectum, quod meminerim. Sensus per se manifestus est, Quamuis prudentia quoque versetur circa res futuras, & nitatur coniecturis quæ sæpè falli & aberrare possunt: tamen certior est diuinatione, quæ nihil habet certi.

μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Cuius versus sententiam ita expressit Cicero 2. de Diuinat.

Benè qui coniciet vatem hunc perhibebo optimum.

Auertendum victimâ periculum] Sic mox: *Expiari posse maiori hostiâ.* Solebant enim monstra & prodigia hostiis procurari, idque ex consilio & præscripto augurum & aruspicum, Quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos super hac re adibant & inspiciebant: vt scilicet auerruncaretur malum quod illa minabantur. Sic apud Ciceronem 1. De Diuinat. *Cumq; magna vis videretur esse in monstris interpretandis ac procurandis, in aruspicum disciplinâ: omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant.* Idem lib. 2. De Diuinat. *Quemadmodum signa quæ à Diis hominibus portenduntur, procurentur, atque expientur. Hoc prænoscere vnum ex officiis diuinationis ponebat Chrysippus.* Sic procurandi verbo (quod & hîc est apud Phædrum) sæpè vtitur in hac eadem significatione Liuius: Prodigia procurare, vel, maioribus hostiis procurare: vt lib. 31. l. 34. bis: et vel lib. 37. lib. 38. lib. 39. & alibi. Gellius

lius lib. 4. c. 6. Neque tantum in portentis ac prodigiis, sed etiam in somniis paulò tristioribus procurandis expiandisq́. mirè superstitiosi erant. Hinc Tibullus lib. 3. Eleg. 3.

Et vanum metuens hominum genus omina noctis
Farre pio placant & saliente sale.

Et idem lib. 1. Eleg. 5.

Ipse procuraui, ne possent saeua nocere
Somnia, ter sulsâ deueneranda molâ.

Vel vt Ios. Scaliger e vet. lib. *Sancta deu. molâ.* Ego pro *saeua*, libenter legerim, *scaeua*, id est, sinistra. Videndus de hoc ritu & I. Gulielmius Quaest. Plaut. ad Amphitruonem. Sic & fulmen procurabant, expiantes locum fulguritum siue bidental. Procurandi fulminis scientiam quo pacto sibi Numa Pompilius comparârit, eleganter & callide deluso Ioue, qui humanis capitibus (quibus Patri quoque eius Saturno fieri solitum accepimus) fulgurita procurari volebat, sed pro his capillum cœpitium sibi à Numa obtrusum tandem acceptauit, ex lib. 2. Furij Antiatis refert Arnobius lib. 5. aduersus Gentes. Eodemque alludit & Ioan. Sarisberiens.

Insitiuos liberos] Adulterinos, seu nothos, qui vulgò manseres. Aliàs etiam adoptiuos liberos rectè dixeris insitiuos: nam vt pyra vel poma insitiua in alienam arborem, ita ipsi in alienam familiam & stirpem adoptione inseruntur. Quid multa? Elegans ἀλληγορία, qua & suprà vsus est.

Hominisq́, curam cura maiore aggrauant] Id est, ex incerto & sollicito dimittunt multò incertiorem ac sollicitiorem.

Ibi stans] F. *ibi astans.*

P. 42. *Ad lanium*] Pro apud Laniũ. Sic Plautus *ad forum*, pro apud forum: *ad exercitum*, pro apud exerc. Terentius, *ad sororem*, *ad vxorem*, pro, apud sororem, apud vxorem. Heautontim.

Inter reliquas] τὸ quis duabus quidem syllabis, vt alibi, ita hic legendum κατὰ διαίρεσιν: non tamen ob id statim mutanda est scriptura, vt *relicuis* scribamus: quod putabat quidam amicus noster. Sic Lucretius lib. 4. *Reliquiis tamen esse vias, in mente patentes.* Idem alibi: *Numquam reliquo reparari tempore posset.*

Quidnam] Suspicabar, *quinam*, id est, quomodo. Sed fortè nihil mutandum.

Et turpi facie multos cognoui optimos] Exemplo sit vel ipse

Æsopus

Æſopus, quem corpore deformem fuiſſe accepimus, ſed mirè ingenioſum: vt iure optimo illud Ouidianum de ſe dici potuerit:

Si mihi difficilis formam natura negauit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Addamus & Epictetum, cuius de ſe ipſo diſtichon ex Gellio notum eſt:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γενόμην, καὶ σώματι πηρός,
καὶ πενίην Ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Id eſt, *Seruus Epictetus mutilatum corpus habebam*
Pauperieq; Irus, ſed Deo amatus eram.

Immo ſi Petronio credimus: *Raram facit miſturam cum ſapientiâ forma.* ἀφορᾷν οὖν δεῖ εἰς τὸν νοῦν, καὶ μὴ εἰς τὴν ὄψιν: vt ad herum ſuum dicebat Æſopus. Idem & Syracides monet his verbis cap. 11. μὴ αἰνέσῃς ἄνδρα ἐν κάλλει αὐτοῦ. καὶ μὴ βδελύξῃς ἄνθρωπον ἐν τῇ ὁράσει αὐτοῦ. Et Saluator noſter Ioh. 7. ait: μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Deus item ad Samuelem 1. Reg. 16. μὴ ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ὄψιν αὐτοῦ, μηδὲ εἰς τὴν ἕξιν μεγέθους αὐτοῦ &c. Vel vt D. Chryſoſtomus citat: μὴ πρόσχῃς εἰς τὴν ὄψιν αὐτοῦ. Eſt tamen cum monſtroſa corporis figura etiam animum indicat prauum & diſtortum. Quò pertinet Epigramma Palladæ lib. 2. Antholog. tit. εἰς χωλοὺς.

χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
εἰκόνα τῶν ἐντὸς ἡ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

hoc eſt: *Mens animi haud aliter quàm pes tibi claudicat: intus*
Quod latet, externâ pingitur in facie.

Dolone] Dolon quid ſit, iam notum: nempe lignum in quo gladiolus lateat: vel ξιφίδιον ἐν ξύλῳ ἀποκεκρυμμένον. Sic vtitur Alphenus l. 52. §. 1. D. ad l. Aquil. Sic Vlp. l. 1. §. 7. & generaliter. D. Si quadrup. paup. fec. dic. Sic Sueton. in Claudio c. 11.

P. 43. *Feciſti tantum corporis*] Corpus facere (quod haud ſcio an nemo præter hunc auctorem alius ita vſurparit) eſt pingueſcere, & nitidum beneque curata cute fieri, vt Horat. loquitur. Huic contrarium eſt apud Lucretium lib. 1. & Ciceronem lib. 7. Epiſt. famil. 27. Corpus amittere, id eſt, macrum fieri, & morbo exhauſtis viribus totum languere, valdeque imbecillum eſſe, adeoque oſſa atque pellem, quod dicitur apud Plautum. περὶ δ' ὀστέα μοῦνον ῥινὸς ἦν, inquit de

tali homine Smyrnæus lib. 9. Paralip. Plinius non absimiliter Phædro dixit, folia caput facere quando iam in semen excrescunt, lib. 26. c. 12. Sic numerum facere dixit Cyprianus & Paulinus. Illius hæc sunt verba De Idolorum vanit. Tract. 4. *Populus de sceleratis & nocentibus congregatur, & asylo constituto facit numerum impunitas criminum.* Paulini ista Epist. 4. *Quasi verò numerum loquacitate facturus.*

A catena collum detritum canis] Huiusmodi canes Seneca vocat catenarios lib. 3. de Ira c. 37. Artemidorus δεσμίους. Petronius: *Canis ingens catenâ vinctus.* Auienus hanc fabulam recitat de Cane & Leone.

P.44. *Filiam turpissimã*] Turpitudo, vt & honestas propriè quidem de animo hominis; sæpè tamen etiam de corporis formâ dicitur, ex qua interdum cognoscitur animus, quamuis admodum fallaci indicio. Sic infrà 54. turpissimam vocat quam mox deformem.

Quid enim] F. *quid ni?*

Rem feminarum] Id est, supellectilem, ne tu aliam rem intelligas, qua scilicet sunt quod audiunt.

Dulcémque in ambas caritatem partiens.] Suauiter & eleganter dictum: vt Gunth. lib. 7. Ligurini: *dulcem tecum partimur amorem:* Vbi in Notis meis docui, imitatione Cæsaris, Virgilij & Statij hæc dicta esse. Sic & dulcem beneuolentiam dicet infrà, p.49.

Cotidie speculo vos vti volo] Sic & Socrates spectatores suos ac familiares volebat speculum crebrò inspicere, eandem ob caussam. Qua de re sic Apuleius in Apologia: *An turpe arbitraris, formam suam speculo assiduo explorare? Annon Socrates Philosophus vltrò etiam suasisse fertur discipulis suis, crebrò vt semet in speculo contemplarentur? vbi qui eorum foret pulcritudine sibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui verò minus se commendabilem formâ putaret, sedulò operam daret, vt virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeò vir omnium sapientissimus speculo etiam ad disciplinam morum vtebatur.* Hæc Apuleius: ad quem locum quæ amicus noster Is. Casaubonus in suis illis longè eruditissimis Scholiis adscripsit, non corrado.

Formam ne corrumpas nequitiæ malis] Similiter Plautus Mostellariâ.

Vulgare amici nomen; at rara est fides] Hinc Aristoteles crebrò

brò ad familiares ſuos conquerebatur: ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος.
Ideo & Paulus in Sententiis ſcripſit, Amicos appellari debere eos, non qui leui notitiâ nobis coniuncti ſint: ſed quibus fuerint iura cum Patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus. l. 223. §. 1. D. De verb. ſig. Sunt autem apud omnes ſcriptores querelæ frequentiſſimæ de paucitate amicorum, & quaſſa atque ſubleſta & lubrica plerorumque fide.

Cum paruas] Hæc quoque Hiſtoria non fabula eſt: vt & ſequens narratio.

P. 45. *Si famam adſequar*] De famæ & poſteritatis ſtudio, quantum illud in Phædro fuerit, alibi dixi: quibus hic quoque locus aggregandus eſt.

Dummodo abſoluar cinis] Id eſt, poſt mortem: quod & Socrati accidit: cuius accuſatores Anytus & Melitus tandem omnium iudiciis condemnati, ipſe verò Socrates eorum reus abſolutus eſt. Significat Phædrus, ſe in reatu hunc librum ſcripſiſſe, cùm à Seiano iniquiſſimo vexaretur iudicio: de quo & ſuprà.

Vt fieri ſolet] Nempe, *Qui ſtruit in calle, multos habet ille magiſtros*: vt vulgatum eſt dicterium.

Caſſandra quia non creditum ruit Ilium] Virg. Aen. 2.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora, Dei iuſſu non vnquam credita Teucris.

Nam vt de eadem ait Tryphiodorus Haloſi Ilij,

τὴν γὰρ Ἀπόλλων
ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ ἄπιστον ἔθηκε.

Id eſt, *Dederat huic augur Apollo,*
Eſſe bonam vatem, ſed non credenda profari.

Et apud Q. Smyrnæum lib. 12. paralipom. Homeric.

οἴη ἔμπεδον ἦτορ ἔχεν πινυτόν τε νόημα
Κασσάνδρη. τῆς οὔποτ' ἔπος γένετ' ἀκράαντον,
ἀλλ' ἄρ' ἐτήτυμον ἔσκεν· ἀκούετο δ' ἔκ τινος αἴσης. & pòſt,
ὡς ἀνεμώλιον ἦεν, ἵν' ἄλγεα Τρωσὶ γένηται.
κῆρες γὰρ πάντων νόον ἔκβαλον.

Quorum verſuum ſententiam ſic placuit Latinis exprimere:

Soli inerat mens firma animi & præcordia dextra
Caſſandræ, haud vnquam verbum vanum ore profatæ
Cui ſuus euentus non reſpondiſſet. At ipſi,
Neſcio quo fato, nemo auſcultare volebat

Tanquam vaniloqua. Troianis quippe parabant
Pœnas fata suas infligere. Cæca proinde
Omni priuabant sensu rationeq́; corda.

Significatur autem per hæc cæcitas & furor hominum imminentibus pœnis fatalibus, quando sana consilia & salutaria monita à nemine in animum demittuntur, sed omnes clausis oculis & auribus in suam perniciem ruunt. Qua de re sunt noti versus veteres relati à Lycurgo in oratione contra Leocratem: notus locus Velleij Paterculi lib. 2. hist. notus Ammiani Marcellini lib. 14. & 17. noti denique versus Lucani. Porro titulus huius narrationis græcissat: *De Credere & non credere*: περὶ τοῦ πιστεύειν καὶ ἀπιστεῖν. De hoc autem argumento lege Dionis Chrysostomi elegantissimum libellum à Ioach. Camerario Latinè conuersum & Notis illustratum. Notum est Epicharmi quoque præceptum politicum: μέμνησο ἀπιστεῖν: quo ille tanquam neruis & artubus sapientiam dicebat contineri. quod & Cicero sæpissimè inculcat. Et extat versus nescio cuius auctoris:

πίστεις ἄρ' ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Vt autem hìc nimis citò credit maritus iste liberti criminationibus: ita apud Heliodorum Aristippus Demænetæ vxori priuignum Cnemonem falsò deferenti fidem temerè adhibet, Aethiopic. histor. lib. 1. Quod exemplum augere potest numerum illorum octo vel decem, ab elegantissimo Mureto relatorum lib. 1. Var. lect. c. 12.

Togamq́; puram iam pararet filio] Depositâ nimirum prætextâ, quam purpurâ distinctam gestabant vsque ad annum ætatis XVI. completum. Sic Cicero se filio suo togam puram Arpini dedisse scribit ad Att. lib. 9. ep. vlt. Catullus elegiâ ad Manlium vocat vestem puram.

Tempore quo primùm vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cùm ætas florida ver ageret.

Seductus] Legend. videtur: *Seductu'st.*

Heredem se fecisse proximum] Proximus heres hic dicitur, qui aliàs crebriùs à I.C^tis & historicis etiam ab Horatio appellatur secundus heres, id est, substitutus.

Qui dum] Malim, *cum.*

Maximè doliturum amanti] οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων ἀτρεῖδαι: vt ex Homero ioci caussa adferebat Sex. Cæcilius I.C. lib. 13. §. 1. D. ad l. Iul. de adult.

Ætatem

Ætatem adultam seruans diligentiùs] Adultam ætatem, pro adolescente vsurpat. Non potest autem quisquam nimium diligenter suorum liberûm custodire pudicitiam: vt est apud Plautum. κάλλος δυστήρητον ἔφυ παίδων τελέθουσιν, inquit, Phocylides. Et Cicero in 1. De offic. rectissimè monet, atque saluberrimè: *Maximè hec ætas à libidinibus arcenda est, exercendaq; in labore, patientiáq; & animi & corporis.* &c.

P. 46. *Familia*] Id est, seruorum multitudo: vt infrà, pagina 65.

Tentat in tenebris caput] Colerus distinguere tentabat antè, *caput:* & iungere: *Caput vt sensit tonsum.* Quod vix est vt probem.

Transfigit] Omninò legendum, *transfigit*, id est, confodit. metron pariter & sensus hoc poscit. Virg. transadigit bis terue in eadem re vsurpat. Sed & Valerius Flaccus lib. 3. Argonaut.

Securigerúmque Nealcem Transfigit, &c.

Idem lib. 6. *læuum per luminis orbem Transfigitur.* Sic Silius Italicus lib. 4. *transfigit pectora mucro.* Tacitus lib. 14. *gladio se ipsum transfigit.* Igitur τὸ *transfigit*, manifestò ex glossa est.

Sanctam vxorem] Quam paulò antè vocabat, castam, & mox, innocentem. Sic sæpè Cicero.

Sopita primo somno] Qui altissimus esse solet.

Ad Centum viros] Apud hos enim agebantur disceptabanturque caussæ grauiores, quæ & Centumvirales inde appellatæ Ciceroni, Quintiliano & Plinio Secundo.

Vt adiuuaret iurisiurandi fidem] Id est, vt suam religionem subleuaret, quippe quibus non liqueret. hoc enim vult versus sequens: *Quod ipsos error implicuisset criminis:* id est, quia versarentur quasi in Labyrintho quodam inextricabili vel irremeabili. Nam de iureiurando purgatorio mulieri deferendo, vt ipsa innocentiam per id suam testaretur, alienum videtur vt hæc exaudiamus.

Fontem veritatis] Videtur ad illud Democriti respexisse: ἐν βυθῷ ἡ ἀλήθεια.

Limasset à radicibus, Non euertisset] Peccat meo quidem animo hæc distinctio. Quid enim est, limare à radicibus? Euertere à radicibus eleganter dicitur; illud non item, vt puto. Quare mecum sic potiùs distingue: *Si mendacium subtiliter*

liter limasset, à radicibus Non euertisset scelere funditus domum. Maioris emphaseως causa duo eiusdem significationis coniunxit: funditus à radicibus euertere: quod est ῥιζόθεν προθέλυμνον ἀναιρεῖν.

P. 47. *Exsecutus sum*] ἐπεξῆλθον, vel διεξῆλθον. Plautus eo sæpius vtitur pro narrationem institutam quasi protelo continuare. vid. Muret. Var. lect. lib. 10. cap. 13.

Cui super] Leg. *Qui sup.* & iung. *Qui insectatus est damn.*

Id demum est homini turpe, quod meruit pati] Sic Ouidius:

Quæ venit ex merito pœna, dolenda venit.

Nulla autem calamitas aut deformitas corporis cuiquam probro dari debet, si animi vitia absint; vt neque formæ elegantia in laude ponenda est, si absit animi probitas. Plutarchus caussam inquirens, cur apud Homerum & Venus Vulcano quamuis blandiens, claudicationem tamē tribuat, & contrà Hector Paridi conuicium licet faciens, nihilominus eum his compellet verbis: δύσπαρι εἶδος ἄριστε: Plutarchus ergo hæc scribit: οὕτως ὅμηρος καταγελᾷ τῶν αἰσχυνομένων ἐπὶ χωλότησιν, ἢ τυφλότησιν, ὅτι ψεκτὸν ἡγούμενος τὸ μὴ αἰσχρὸν, ὅτι αἰσχρὸν τὸ μὴ δι' ἡμᾶς ἀλλ' ἀπὸ τύχης γενόμενον. Qui locus valdè huc pertinet. Vide & Muretum lib. xi. Var. lect. c. x.

Indigno quanta res] Fort. leg. *ô quanta res*: vt ô fuerit absorptum in vltima syllaba præcedentis dictionis.

Qui me non intellegunt] Hæc orthographia in libb. MSC. constanter seruatur. Vt autem in hâc fabulâ pullus gallinaceus margaritam spernit, eique granum tritici anteponit: ita Heraclitus dicebat, asinum paleas auro præferre. ὄνον σύρματ' ἂν ἑλέσθαι φησὶν ἡράκλειτος, μᾶλλον ἢ χρυσὸν. ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις: Vt est apud Aristotelem lib. 10. Ethic. c. 5. Nec multum absimilis est sententia versus veteris, à Clemente Alexandrino relati: ὁ χοῖρος ἥδεται κόπροις καὶ βορβόρῳ. Id est:

Suis voluptas in luto atque stercore est.

Sic nimirum trahit sua quemque voluptas.

P. 48. *Partibus*] Id est, litigantibus. Sic vulgo quoque partes vsurpantur.

Ne religio peccet imprudens mea] Religio mea, id est, ego iudex. Iudici religio tribuitur, propter iusiurandum quo adstrictus est. Iuratus enim iudicat. Cicero pro M. Cœlio: *Habeo*

Habeo enim, Iudices, quem vos socium vestræ religionis iurísque iurandi facilè esse patiemini, L. Luceium sanctissimum hominem & grauissimum testem, &c. nam & testes iurati testimonium dicunt. l. 9. C. de testibus. Plurima ad hanc rem, id est, ad iusiurandum illud iudicum, quæ in iure religio dicitur, loca ex iure ciuili annotaui ad tit. Instit. De oblig. quæ quasi ex delictis nasc.

De quis nunc agitur] Etiam hoc ex formulis antiquis iudiciorum depromptum esse facilè quiuis paulo humanior intellegit. Solebat enim in actionis formulâ addi: QVA DE RE AGITVR: vel QVO DE AGITVR: vt vel ex oratione Ciceronis pro Muræna notum est. Vide B. Brissonium lib. 5. De formulis, vbi aliâ quatuor loca pro exemplo è Cicerone annotat.

Sustulit sententiam] Pro tulit. compositum pro simplici.

Puerorum in turbâ ludentem nucibus] Nota res est, pueros lusitasse nucibus. Vide Erasmum in explicatione prouerbij Persiani: *Nuces relinquere*; Chil. 1. cent. 5. prouerb. 35. Deinde quàm multi clarissimi viri ad lusus cum pueris, quos caros habebant, sese demiserint; vide apud Petrum Fabrum in præfatione Agonistici. Valdè suauiter Symmachus lib. 4. ep. 20. *Repuerascere* (inquit) *nos pietas iubet, vt litterarum dulcedinem liberis nostris labor participatus insinuet.* Vide & Ausonium Protreptico ad Nepotem. Est autem hîc obseruandum elegans exemplum Chriæ dramaticæ vel pragmaticæ: cui similis est illa Lycurgi producentis in forum duos canes, vt ciuibus suis demonstraret, quantam vim haberet educatio in vtramque partem.

Simul] Pro simulac: vt infrà, pagg. 50. 55. 58. 60. 73. 75. exemplo Ciceronis, Horatij, aliorum.

Derisor potiùs quàm deridendus senex] Sic suprà 41. *Naris emunctæ senex, Natura nunquam verba cui potuit dare.* Derisor est εἴρων, qualis & Socrates fuit.

Sapiens] Philosophe. per Ironiam.

P. 49. *Citò rumpes arcum, semper si tensum habueris*] Nisi me fallit memoria, etiam Amasis Ægypti rex eodem sese argumento excusauit, cùm nimiæ remissionis argueretur à suis. Vide Erasmum in prouerbio, *Arcus tensus rumpitur.* Chil. 4. cent. 5. adag. 77. Comparationem aliam arcus cùm animo humano facit mimus apud Senecam relatus: *Arcum*

cum intensio frangit; *animum remissio* : vbi intelligenda est nimia animi remissio & ignauia.

Debent] Lex metrica exigit, vt legamus, *debet*.

Prolapsam effundit sarcinam] Cadendi & labendi verbis de partione vti Latinos æquè ac Græcos Poëtas, ad Oppianum docui. Puto autem & Tryphoninum I C. vsurpasse verbum Excidere cùm de Arescusâ ancillâ agit, sub hac conditione manumissâ : *Si tres pepererit*. l. 15. D. de stat. hom. *Nec enim* (inquit) *natura permisit, simul vno impetu duos infantes de vtero matris excidere, vt ordine nascentium incerto non appareat. &c.* vbi tamen vulgati libri omnes habent *excedere*. Sed videndum ne sit ἰμφαληκώτερον, *Excidere*: quod Tryphoninum scripsisse autumo. Profundendi verbo in hac notione vsus est Tertullianus lib. De Carne Christi: *Horres vtique & infantem cum suis impedimentis profusum vtique & oblitum.* Ibidem paulo antè malim: *vterum indies inolescentem:* vbi vulg. *insolescentem*. Inolescere est crescere & augeri. At insolescere superbire. Iuuenalis quoque de Messalinæ partu effundendi verbo vsus est : *Patruo similes effunderet offas*.

Niger an albus nascerer] Ex prouerbio, *Albus an ater sis nescio*. Vtitur eo & Cicero Philip. 2. & Apuleius in Apologia, & Catullus in Cæsarem, & B. Hieronymus in Heluidium. Vide Erasmum Chil. 1. cent. 6. adag. 99. Ad hanc formam Plautinum illud dictum est: *nullius coloris aliquem nosse*.

Beneficium magnum sanè] Ironicè.

Necessitas] Naturæ scilicet. Similiter alicubi Cicero. Congruit nonnihil cum huius argumento fabulæ disputatio Phauorini apud Gellium de sobole non tantùm parienda à matre, sed & lactanda.

Obsistere homines legibus ; meritis capi] Nam vt Poëta ait:

Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

Huc pertinet Pauli sententia lib. 4. tit. 5. *Meritis liberos quàm pactionibus adstringi placuit.* Idem ex responso quodam Papiniani refert Iustinianus in lib. 35. si quando C. de inoff. testam. *Meritis magis filios ad paterna obsequia prouocandos, quàm pactionibus adstringendos.*

P. 50. *Pœnas oppetis*] Vt, oppetere mortem. Sed illud non memini alibi legere.

Nectar quod Pallas] Minerua nimirum aui suæ, quam in tutelâ habebat, potum illum Deorum dono miserat, die

eredo

credo natali ſuo, quo ſe Noctua inuitaret largiùs.

Tribuit] Nempe ſilentium & cānendi pauſam vt faceret.

Quercus Ioui] Plinius Ioui eſculum tribuit, lib. 12. c. 1. *Arborum*, inquit, *genera numinibus ſuis dicata perpetuò ſeruantur: vt Ioui eſculus: Apollini laurus: Mineruæ olea: Veneri myrtus: Herculi populus*, &c.

Cibelæ] Scrib. *Cybelæ*. vt infrà, 52. *Galli Cybeles*. Catullus quoque in Galliambo nunc producit mediam, nunc corripit.

P. 51. *Propter fructus eſt gratior*] F. *propter fructum eſt gratior*.

Niſi vtile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria] Eleganter Lucillius: *Hunc laborem ſumas, laudem qui tibi ac fructum ferat*. Non tamen omnia ad vtilitatem referenda aut hoc modulo metienda ſunt.

Luſciniy] Nota, Luſcinius dicitur hìc quæ vulgò tantùm Luſcinia. Hoc quoque ſingulare Phædrus habet.

Vocem miſerit] F. *emiſerit*.

Læua cornici omina] Virgil. *Sæpè ſiniſtra cauâ prædixit ab ilice cornix*.

Noli adfectare quod tibi non eſt datum] Quia *amittit meritò proprium, qui alienum adpetit*, vt ſuprà dixit p. 18. Exemplo ſit camelus, qui, vt eſt in fabulis, cornua Iouem poſcens, auribus quoque priuatus eſt. Obſeruanda hìc ſimul ſententia Homerica, vni Deum non omnia tribuiſſe, ſed aliis alia & diuerſa dona contuliſſe.

οὕτως οὐ πάντεσσι θεοὶ χαρίεντα διδοῦσιν ἀνδράσιν. &c. Odyſſ. θ.

Deluſa ne ſpes ad querelam recidat] Quia vt infrà p. 74. ait: *Quem ſpes deluſit, huic querela conuenit*.

Familia] Iungo & expono: *familiâ maturiùs*, id eſt, citiùs, quàm aliàs ſolemne erat familiæ, quæ tunc domo aberat. An, *ſolus familiâ*: id eſt, deſertus ab aliis ſeruis?

P. 52. *Ignem ergo quærens*] Nota: Ignem non ſemper veteres domi ſuæ excitabant, ſed à vicinis plerumq. petebant: neque eum facilè negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valdè alienum eſſe ab ipſa humanitate, & vita hominum atque naturâ, quæ aqua & igni carere non poteſt. Hinc Plautus Trinumo Sc. 6. *Datur*, inquit, *ignis tamen etſi ab inimicis petas*. Sic enim ibi habet MS. Camer. non vt vulgò, *Tametſi*.

metfi. Eodem & Ennij versus pertinent quos refert Cicero 1. de Offic.

Vt homo qui erranti comiter monstrat viam,
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit,
Vt nihilominus ipsi luceat, cùm illi accenderit.

Et idem Plautus Aululariâ eodem respiciens ait A. 1. Sc. 2. siue (vt in MSC. Eystad.) Sc. 1.

Caue quemquam alienum in ædes intromiseris.
STA. *Quid si quispiam ignem quærit?* EVC. *extingui volo:*
Ne causa quid sit, quod te quisquam quæritet.
Nam si ignis viuet, tu extinguere extempulo.

De flammâ tamen Deûm, id est, de igne sacrificiorum, non licebat ignem accendere vel mutuari lumen, vt infrà pag. 58. 59. testatur Phædrus, ne scilicet sacra profanarentur.

Iter efficit breuius] Per compendia iuit.

Quid tu cum lumine] Metron postulat, vt *tu*, remoueamus. *Medio sole*, dixit, pro meridie: vt Statius 5. Thebaid. Sic Horat. lib. 1. ep. 5. Supremo sole, pro vespere dixit.

Hominẽ quæro] Hoc & à Diogene Cynico factũ scribunt.

Abit] Leg. *abiit*.

Ad animũ retulit] Sic ICti ad animũ reuocare iniuriam dicunt. l. 11. non solùm. §. 1. D. de iniur. §. vlt. Instit. eod. tit.

Asinus & Galli] Intellige hîc Gallos Cybeles, siue Magnæ matris Deûm sacerdotes. Non videtur autem hæc fabula librum 4. ordiri debere, sed potiùs vel ad finem libri tertij referenda, vel illi de mustelâ & muribus postponenda: vt liber 4. ab hoc prologo incipiat: *Iocularе tibi videtur:* &c.

Circum quæstus ducere] Iungo, *circunducere quæstûs*, sc. gratia: vt ellipsis Græcissans, & tmesis.

Detractâ pelle] F. *Detr. è pelle*. Quod ait, de tympanis Gallorum Cybeles, id lucem accipit ex Catulli Galliambo. Solebant autem strepitu tympani obtundere clamorem eorum, quos euirabant, ne exaudiretur.

Delicio] Delicium vocabant puerum, quem in amoribus habebant. τὰ παιδικὰ. Adeò enim hoc vsitatum erat Græcis, vt etiam turpe esset puero, amatorem nullum reperire. Quanquam autem vix effugiebant probri, imò sceleris suspicionem, cum formosis adolescentulis versantes: tamen nequitiæ suæ hoc quasi velum obtendebant, vt dicerent se amorem suum non ad fœdam atque abominandam corporum

porum commixtionem, sed ad constituendam amicitiam referre. Inde vocabant hunc ἔρωτα ἐπὶ φιλίᾳ. Cicero amorem amicitiæ vertit. Sic nimirum Tusc. 4. *Quis, inquit, est enim amor iste amicitiæ? Cur neque deformem adolescentem quisquam amat, neque formosum senem?* Idem Cicero Tusc. 5. etiam Dionysium Siciliæ tyrannum scribit, more Græciæ quosdam adolescentes amore coniunctos habuisse. Eusebius lib. 6. de præpar. Euangel. παρ' Ἕλλησι καὶ οἱ περὶ ἐρωμένους ἔχοντες οὐ ψόγον. Vide & Maximum Tyrium Philosophum Platonicum Serm. 8. cum 3. seq. Habet hac de re quædam, nisi fallor, etiam Muretus in Var. lect. quæ ex his nostris augeri possunt.

Quid nam fecissent] Leg. *Quianam.* id est, quare fecissent, scilicet tympana ex pelle asini, satis dum viueret plagis contusi. Quidnam fecissent, non erat cur quæreret Delicium illud. Videbat enim tympana esse facta. An Quidnam, id est, ob quid?

P. 53. *Decipit frons prima multos*] Theognis:

πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι.

Id est, *Sæpè externæ animum decipiunt species.*

Inferiore] Leg. *interiore.*

Ne locutus sine mercede existimer, Fabellam

Adiiciam] Quid hic facit mercedis mentio? videtur alludere ad morem veterem, quo recitaturi fabulam solemni velut præfatione sibi audientiam parabant: *Accipe fabulam, & para assem.* As igitur velut merces erat, quam sibi pro recitationis opera stipulabantur. Admonuit de hoc more iam olim Mariangelus Accursius initio fabulæ suæ De testudine, quam Diatribis suis adiecit. *Fabulam*, inquit, *spondenti auream non fuit olim vitium inter amicos assem petere*, &c. Dicebant etiam præfantes, se expositituros fabulam, si audire vellent: qui mos hodieque in vulgo nostro Saxonico remanet. Ad hanc formulam Petronius Arb. respexit, dum aggreditur expositionem fabellæ de matronâ Ephesinâ. Scripsi autẽ, *adiciam*, non vt erat editum, *adiiciam*. Vide infra p. 57.

Compressus] Fort. *comprensus*: vt sit error natus ex antiqua scribendi pronuntiandive ratione: *Compresus*: *Cosul.*

Perit] Ita rescribo, pro *periit.*

Rete] Pro, reti, vt *à mare*, pro, à mari Plautus dixit.

Muscipula] A muscipulum neutro genere. Est autem vsitatius, *hæc muscipula* g. f.

Qui sæpè laqueos] Non solùm igitur vulpes vetula (de qua prouerbium est) sed & mus vetulus difficulter capitur.

γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται παγῇ.
γέρων δὲ καὶ μῦς οὐχ ἁλίσκεται πάγῃ.

P. 54. *Vindictam quærens, seruitutem reperit*] Hunc generalis sententiæ versum ex hoc loco sumere licet. Multi tanta ardent vindictæ cupiditate, vt ipsi non recusent sese in seruitutem alteri mancipare, aut in aliud malum præuisum præcipitare, dummodo hostem suum sibi vlcisci liceat. Talis & Hecuba describitur ab Euripide, cùm sic loquens inducitur: τοὺς κακοὺς δὲ τιμωρουμένη, αἰῶνα τὸν σύμπαντα δουλεύειν θέλω, id est, *Istos malos vlcisci dum liceat mihi, Me seruituti mancipare haud abnuo, Æuum per omne.* Cicero quoque apud Dionem lib. 44. ait: *Multi alios vlcisci cupientes, ipsi vnà perierunt.* Quam autem fabulã hîc Phædrus de equo & apro, eandem Aristoteles ex Stesichori ad Himerenses oratione narrat de equo & ceruo lib. 2. Rhetoric. c. 20. ἵππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος· ἐλθόντος δ' ἐλάφου, καὶ διαφθείραντος τὴν νομὴν, βουλόμενος τιμωρήσασθαι τὸν ἔλαφον, ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δύναιτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον. ὁ δὲ, φησὶν ἐὰν λάβῃς χαλινὸν, καὶ αὐτὸς ἀναβῶ ἐπ' αὐτὸν, ἔχων ἀκόντια. συνομολογήσαντος δὲ καὶ ἀναβάντος, ἀντὶ τοῦ τιμωρήσασθαι αὐτὸς ἐδούλευσεν ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ. οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς. &c. inquit Stesichorus Himerensibus Phalarim ducem aduersus hostes eligere volentibus.

Lædi quàm dedi] παρονομασία & ἀντανάκλασις elegans, si sit rara in scriptis, tanquam ἥδυσμα, non si subinde reponatur, tanquam ἔδεσμα: qua affectatione tamen quidam sibi mirificè placent.

Posteris tradam] Plenus bonæ spei fuit Phædrus, ad posteritatem peruentura esse scripta sua: quæ spes ei penè decollauisset, absq. Pithœis clarissimis fratribus esset, quibus vitam debet. Sic suprà p. 39. *Habebunt certè quo se oblectent posteri.* Et p. 70. *Longaq; dignum iudicatis memoriã.* Et infrà p. 74. *Chartis nomen victurum meis, Latinis dum manebit pretium litteris.*

Oculis venantem viros] Quia ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν. Sic & Ouidius dixit amores venari. Elegantissime, nam formosa femina

femina tanquam visco volucres, sic ipsa adolescentes capit & attrahit. Plautus, si bene memini, *venaturam oculis facere*, dixit.

Deuotam vino] Id est, deditam, vt apud Virgil. 4. Aen. *Dido pesti deuota futura.* Et Cic. 3. Tusc. *Deuotus & donatus studiis.*

Totam vt fortunam]. ἅπασαν τὴν οὐσίαν. Vsitatius est plurale: Totas fortunas.

P. 55. *Ne datà possideant aut fruantur*] Frui data, pro datis, antiquè. Sic suprà 44. *fruere quæ laudas.*

Iuris peritos consulit] I.C^ti sicut testamentis faciendis sæpè adhibebantur: (id quod multis probat auctoritatibus B. Brissonius lib. 7. Formularum; & ego ampliùs confirmo quodam loco Epigrammatis Agathiæ, quod extat lib. 2. Antholog. tit. 22. εἰς ἰατρούς: vbi medicus ægroto suadet, vt Iurisperitum accersat condendi caussa testamenti:

> θάρσει· τὸν νομικὸν δὲ κάλει, καὶ χρήματα σαυτοῦ
> εὖ διαθεὶς, βιότου λῆγε μεριμνοτόκου.)

Ita iidem & de interpretatione vltimarum voluntatum consulebantur, si ambiguè quid scriptum nuncupatúmve esset, vt voluntatem testatoris per coniecturas quasdam indagarent, tanquam venator & canis sagax feram per vestigia eius persequitur ad vsque cubilia.

Fidem aduocauit iure neglecto parens] H. e. Mater cùm à IC^tis non posset hæc res expediri in tàm mirabili & inextricabili testamento, ipsa fidem impleuit, nullo licet iure cogente. Vide Instit. de Fideicommissar. heredit. & De Codicillis: item Plinium lib. 5. Epist.

Potrici] Sic compotricem dixit Terentius Hecyrâ.

Si maneret condito sensus patri] Condere verbum mortuale vel sepulchrale. Vnde conditorium, quod & conditiuum, Senecæ & Petronio est sepulchrum. Hoc primum. Deinde quia dubitabant veteres, an sensus rerum humanarum ad defunctos pertingeret: creberrimè his vtebantur & similib. formulis: *Si quis manium sensus est: Si quis in morte sensus est: Si quis etiam inferis sensus: Si quis defuncti sensus est: Si quid inferi sentiunt: Si quis post funera sensus: Si quid habet sensus vmbra: Si manes post fata aliquid sentiunt: Nigras si quid sapis inter arenas,* Propert lib. 4. *Si sentire datur post fata quietis:* Nemesianus Ecloga 1. Reliquorum auctores pete à Brissonio

lib 8. De formulis fol. 737. cui duo postrema ista exempla addidi · & hoc Euripideum in Hercule furioso, ὦ φίλτατ', ἴπις φθόγξει σιωπκότ) θνητῶν παῤ ᾅδη, σοὶ τάδ' Ἡρακλεις λέγω.

Luxu] Luxus, qui aliàs latiùs patet, hic strictè accipitur pro ebrietate seu temulentia, quæ scitè à veterum quodam μητρόπολις κακῶν appellata est.

P. 56. *Abiciet*] Sic frequentissimè veteres alterum i. in hoc & similibus verbis compositis à iacio consueuerunt abiicere. Vide Indicem Giphanij in Lucretium.

Quod multorum fugit imprudentiam, Vnius hominis reperit solertia] Non igitur semper ad multitudinem respici oportet, sed ad eos quibus potiùs lux veritatis adsistit: vt grauiter monuit Arcadius in l. 21. ob Carmen. §. vlt. D. de testibus. *Neque ex multitudine auctorum iudicandum, quod melius & aequius est: cùm possit forsitan & deterioris sententia & multas & maiores in aliqua parte superare*: vt Iustinianus ait in præfat. De Conceptione Digestorum.

Historia quorum in tabernis pingitur] Nihil hîc deest, sed τὸ *m* ante vocalem non absorbetur. cuius rei & alibi apud Phædrum exempla obseruaui: vt suprà 22. non fuit igitur, quare Pithœus asteriscum ante τὸ *in* poneret, quasi loci corrupti signum.

Artos] Vulgò arctos scribimus, contra veterum auctoritatem, quæ hîc obseruatur.

Signum quod sequerentur milites] Id est, tesseram militarem. ξύνθημα vocant Græci: vt præter ceteros Euripides Phœniss. & Onosander. Tali pro signo versum Homeri integrum Claudius dabat excubitori Tribuno: ἄνδρ' ἀπαμύνασθ', ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ. Id est, *Vlciscare virum, qui te irritauerit vltrò*. Sæpius autem vnica dictio, eaque boni ominis pro tessera dari solebat: *Victoria, palma, triumphus, virtus* &c. Vide Torrent. ad Suetonium.

Immolatos] Id est, mactatos. κατεχρησικῶς. nam immolandi verbum ad sacrificia propriè pertinet.

Alui tartareo specu] Simili ferè grandiloquentiâ & δεινότητι Oppianus Ceto tribuit γαςρὸς χάος lib. 5. Halieut. v. 52.

Periclitatur magnitudo principum] Similis ferè sententia fuit suprà p. 36. *Tuta est hominum tenuitas; Magna periclo*

sunt

ſunt opes obnoxiæ. Contraria tamen huic præſenti ſententia eſt apud Horatium in Epiſt. *Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.* Imò & apud ipſum Phædrum ſuprà p. 30. *Humiles laborant vbi potentes diſſident.*

Minuta plebes] ἀρχαϊκῶς hoc quoque: Vt Ennius apud B. Hieronymum in Epiſtolis: *Plebes in hoc regi antiſtat loco; Licet Lacrimare plebi; regi honeſtè non licet.* Sic ſæpe Auſonius, ſæpe Guntherus. Plura ex veteribus exempla annotauit Priſcianus: vt hoc Lucillij, *Deficit alma Ceres nec plebes pane potitur.*

Naſute ſcripta diſtringis] F. *deſtringis:* vt ſupra p. 29. *graui deſtringunt alios contumeliâ.* Illud, *naſute*, poteſt vel aduerbium eſſe, vel nomen, hoc modo; Tu, ô naſute, qui deſtringis. &c.

Parum libellum ſuſtine] An, *paruum libellum:* an potiùs: *parum libellam ſuſtine?* Libellam, ſcilicet iudicij & cenſuræ tuæ, pauliſper inhibe. Vel ita: Adhibe huc ſtateram & lances tuas: imponam in eas quod tibi ſatis ponderoſum videatur, cùm cetera omnia tàm leuia repules.

Vtinam ne vnquam] Notiſſimum illud è Medea Ennij tranſlatum ex Euripidis cognomine Tragœdiâ fragmētum, quo etiam Cicero aliquoties vtitur: *Vtinam ne in nemore Pelio.* quod quaſi in prouerbium abiit, de re altiùs & à remotiſſimis cauſis repetitâ, more mulierum. Eum locum Phædrus hîc ſcitè imitatur. Simile eſt illud eiuſdem Euripidis in Hecuba: ἰδαίαν ὅτε πρῶτον ὕλαν Ἀλέξανδρος εἰλατίναν ἐτάμετ. &c.

P. 57. *Profeſſæ mortis viā*] Elegantiſſimè dictū. Plus autem eſt, profeſſa mors, quàm πρόοπτος θάνατος. Significat enim αὐθαίρετον θάνατον, ἢ ἑκούσιον. Ita nauigatio nihil aliud eſt quàm mortis quædam profeſſio. Merito igitur exclamat Propertius contra nauigationes:

Ite rates curuæ, & leti texite cauſam.
Iſta per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat fatis: adiecimus vndas.
Fortunæ miſeras auximus arte vias. &c.

Et Horatius lib. 1. Carm.

Fabricaſſet Argus opere Pall. ratē] Nota Argum huius nauis ſiue ratis architectum fuiſſe. De opere Palladio quod ait, explicat Claud. *Ipſamq; ſecandis Argois trabibus iactent ſu-*

dasse Mineruam. &c. Gubernator eiusdem Tiphys fuit.

Inhospitalis Ponti sinus] Id est, Euxini, qui ἄξενος potiùs quàm εὔξενος dici merebatur. Sic inhospitalem Caucasum vocat Horatius.

Per artus fratris] Cicero quoque de Medea hoc habet in ea pro lege Manilia. *Ex suo*, inquit, *regno sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga, fratris sui membra in his locis, qua se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa, mœrorq́; patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens.* &c.

Quid tibi videtur?] Scil. de isto Poëmatio meo. Satin' grandi cothurno suffultum incedit?

Falsoq́; dictum] Id est, ἀναχρονισμὸν committis, & migras tempora.

Lector Cato] Id est, qui perpetuò frontem caperatam, & senili tristitie striatam geris, teque morosum ac fastidiosum meorum carminum iudicem præbes: cui, quicquid agam, siue quod recens inueniam, siue quod antiquum reponam atque refingam, nunquam satisfacio, nunquam placeo. Sic Petronius Arbiter:

Quid me spectatis constricta fronte Catones?
Damnatisq́; nouæ simplicitatis opus?

Notum est in tales illud Satyricum:

Tertius è cœlo cecidit Cato. Nota Catonis seueritas: qui ita de seipso apud Sallustium: *Qui mihi atque animò meo nullius vnquam delicti gratiam fecissem, haud facilè alterius libidini malefacta condonabam.* Hinc passim & Martialis Catonem κατ' ἀντονομασίαν dixit pro tetrico ac moroso censore: vt in Epistola lib. 1. præfixa: *Non intret Cato theatrum nostrum: aut si intrauerit, spectet.* Et Epigram. 3. *Cur in theatrum Cato seuere venisti?* Et lib. 9. Epig. 29.

Qui spectatorem potui fecisse Catonem,
Soluere qui Curios Fabriciosq́; graues. Et l. 10. Epig. 19.

Tunc me vel rigidi legent Catones. Et lib. 5. Epig. 53.

Epistolisq́; commodat grauem vultum,
Similis Catoni, Tullioq́;, Brutóque. &c.

Stultitiam nauseant] F. *stultitiâ nauseant.* Illud autem, *cœlum vituperant*, prouerbiale est. λοιδορεῖσθαι τὸν οὐρανόν. Vide Suidæ & Zenodoti collectanea.

Si qua res cibi] Id est, aliquis cibus. Vt res voluptatum dixit Plautus Amphitr. Sic Euripides aliquoties χρῆμα θηλειῶν dixit, id est, negotium vel res feminarum, pro, feminæ. Et Aristophanes τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, pro αἱ νύκτες. Sed de hac quoque Græcorum periphrasi honestâ pluribus aliquando ad Oppianum agebamus.

P. 58. *Propriis repletam vitiis post tergum dedit*] Ex illo Catulliano:

Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Quod & Persius imitatus est hoc versu:

Sed præcedenti spectatur mantica tergo. Sed & aliis hac elegantissima fabella vti placuit: vt Galeno, vt Themistio. Huius quidem locum mihi indicauit amicus meus eruditiss. Dauid Hœschelius, ex oratione quæ βασανιστὴς inscribitur. Σοφὸς γὰρ ἦν Αἴσωπος ὁ μυθοποιός, ὃς ἔφη, τοὺς ἀνθρώπους δύο πήρας ἕκαστον φέρειν, τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δὲ ὄπισθεν. γέμειν δὲ κακῶν ἑκατέραν· ἀλλὰ τὴν μὲν ἔμπροσθεν, ἀλλοτρίων. τὴν δὲ ὄπισθεν, τῶν αὐτοῦ τοῦ φέροντος. καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἄνθρωποι τὰ μὲν ἐξ αὑτῶν κακὰ οὐχ ὁρῶσι, τὰ δ' ἀλλότρια πάνυ ἀκριβῶς θεῶνται. Nimirum, vt Plutarchus ait, ἕκαστος αὐτοῦ φαυλότερος κριτὴς ἢ ἑτέρων. atque vt Iohan. Chrysostomus: ἐν τοῖς ἑτέρων ἁμαρτήμασιν ἐσμὲν πικροὶ ἐξεταστοί· καὶ τῶν ἡμετέρων οὐδένα λόγον ποιούμεθα.

Hac re] Id est, ideo.

P. 59. *Malorum munera inuisa Deo*] Grauissimè in hanc ntentiam scripsit Plato: *Cùm vir honestus turpe sibi ducat, unera ab improbo homine capere: quanto magis Deum ita aniatum esse debemus existimare!*

Culpam lues] Nota, Quòd etiam falsæ religionis contem- aut violatio nunquam cuiquam impune abierit: cuius exempla ex historicis multa colligi possunt. Sed Brennprimis est memorabile: de quo sic Propertius canit 3.

orrida sacrilegum testantur limina Brennum
Dum petit intonsi Pythia regna Dei:
t mons laurigero concussus vertice duras
Gallica Parnasi sparsit in arma niues.

uo & Iustinum vide lib. 24. & Callimachum hymno Delum.

minis commercium] Elegantissimè: vt linguæ commer-

cia Lucretius; ſepulturæ B. Ambroſius. vide Notas ad Guntherum.

Nec de Lucernâ fas eſt accendi ſacrum] Sacrum pro ſacrificio vel hoſtiâ poſitum. Ad ſacra autem ferè perpetuum ignem in æde ſacra alebant: ſicuti & ad monumenta cariſſimorum. l. 44. Mæuia. D. de manumiſſ. teſtam. l. 5. §. proinde D. de donat. inter vir. & vxor. Et Petronius Arbiter huc alludens, ſcripſit de ancillâ matronæ Epheſinæ, lugentis maritum ſuum, hanc adſidentem conditorio lumen in monumento poſitũ renouaſſe quotiens defecerat. Quod hodieque nonnullis in locis inter Chriſtianos ſeruatur.

Scelera non irâ Deûm, Fatorum dicto ſed puniri tempore] Sic Æſchylus:

Confide. Tandem preſtituto tempore
Pœnas dabunt; quicunque temſerint Deum.

Vel, ſi Græcè loquentem audire malumus:

θάρσει. χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ
θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

Eadem eſt vox omnium ſapientum ſæpe iterata, & cotidiana experientia comprobata.

Ne cum malefico vſum bonus conſociet vllius rei] Cauſſam reddit Theognis & Menander: quorum ille ſic in gnomis:

ἢν δὲ κακοῖσι
συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Huius autem verſiculus etiam per Apoſtolum 1. Cor. 15. ſanctificatus eſt (vt cum Tertulliano loquar lib. 1. Ad vxorem) φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

Id eſt, *Bonos corrumpunt mores congreſſus mali.*

Alteram deinde cauſſam adfert Horatius; Quia *ſæpè Dieſpiter neglectus inceſto addidit integrum.* Imitatur Euripidem, cuius hæc ſunt extrema Electrâ: οὕτως ἀδικεῖν μηδεὶς θελέτω, μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω. Immò etiam ſecundum Heſiodum,

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Diues arca veram laudem intercipit] Litteræ enim, vt ait B. Hieronymus, marſupium non ſequuntur: quamuis Crœſos quis ſpiret & Darios: Sudoris comites ſunt & laboris. At πενία σοφίαν ἔλαχε, καὶ μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει: vt eſt apud Theocritum.

Cælo receptus propter virtutem Hercules] Egregiè ipſe apud

apud Senecam extremo Hercule Oeteo ad Alcmenam matrem:

Quid me tenentem regna siderei poli,
Cœloq; tandem redditum, planctu iubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In astra, & ipsos fecit ad superos iter. Et postea:

Virtus in astra tendit; in mortem timor. Cui pulchrè succinit Chorus ibidem:

Nunquam Stygias fertur ad vmbras
Inclita virtus: Viuite fortes,
Nec Lethæos sæua per amnes
Vos fata trahent; sed cùm summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.

Vide tamen Lactant. lib. 1. cap. 9. Diuin. Inst. vbi demonstrat, nullam in Hercule virtutem fuisse, ob quam dignus esset cœlo recipi.

Plutus Fortunæ filius] Cæcæ matris cæca proles. Vide Aristophanem Pluto. Vt autem ille hic malis amicus esse dicitur: ita contrà de Paupertate inquit Petronius Arbiter: *Nescio quo modo bonæ mentis soror est paupertas:* Et vt idem: *Amor, ingenij neminem vnquam diuitem fecit.* Cuius rei causam inquirit Aristoteles problem. 4. Sect. 29.

Plutus obiecto cuncta corrumpit lucro] Propertius lib. 3.

Auro pulsa fides: auro venalia iura:
Aurum lex sequitur: mox sine lege pudor.

Iuuenalis:

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt secula luxu
Diuitiæ molles.

Plurimæ similes sententiæ apud Theognidem, Euripidem, Senecam ac Stobæum reperiuntur. Elegantissimè autem Phocylides κακῶν ἀρχηγὸν, βιοφθόρον πάντα χαλέπτοντα, πῆμα ποθεινὸν appellat τὸ χρυσόν. Vide totum locum. Est enim prolixior. Valde quoque huc facit quod Creon apud Sophoclem in Antigonâ prolixè commemorat, quot quantaque mala argentum humanæ vitæ importarit. Sed ipsum regem audire est operæ pretium.

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισιν οἷον ἄργυρος
κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε. τοῦτο καὶ πόλεις

cia Lucretius: sepulturæ B. Ambrosius. vide Notas ad Guntherum.

Nec de Lucernâ fas est accendi sacrum] Sacrum pro sacrificio vel hostiâ positum. Ad sacra autem ferè perpetuum ignem in æde sacra alebant: sicuti & ad monumenta carissimorum. l. 44. Mæuia. D. de manumiss. testam. l. 5. §. proinde D. de donat. inter vir. & vxor. Et Petronius Arbiter huc alludens, scripsit de ancillâ matronæ Ephesinæ, lugentis maritum suum, hanc adsidentem conditorio lumen in monumento positū renouasse quotiens defecerat. Quod hodieque nonnullis in locis inter Christianos seruatur.

Scelera non irâ Deûm, Fatorum dicto sed puniri tempore] Sic Æschylus:

Confide. Tandem prestituto tempore
Pœnas dabunt, quicunque temserint Deum.

Vel, si Græcè loquentem audire malumus:

θάρσει. χρόνῳ τοι κυρίῳ τ' ἐν ἡμέρᾳ.
θεοὺς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

Eadem est vox omnium sapientum sæpè iterata, & cotidiana experientia comprobata.

Ne cum malefico vsum bonus consociet vllius rei] Caussam reddit Theognis & Menander: quorum ille sic in gnomis:

ἢν δὲ κακοῖσι
συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Huius autem versiculus etiam per Apostolum 1. Cor. 15. sanctificatus est (vt cum Tertulliano loquar lib. 1. Ad vxorem) φθείρουσιν ἤθη χρησθ' ὁμιλίαι κακαί.

Id est, *Bonos corrumpunt mores congressus mali.*

Alteram deinde caussam adfert Horatius; Quia *sæpè Diespiter neglectus incesto addidit integrum.* Imitatur Euripidem, cuius hæc sunt extrema Electrâ: οὕτως ἀδικεῖν μηδεὶς θελέτω, μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω. Immò etiam secundum Hesiodum,

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

Diues arca veram laudem intercipit] Litteræ enim, vt ait B. Hieronymus, marsupium non sequuntur: quamuis Crœsos quis spiret & Darios: Sudoris comites sunt & laboris. At πενία σοφίαν ἔλαχε, καὶ μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει: vt est apud Theocritum.

Cœlo receptus propter virtutem Hercules] Egregiè ipse apud

apud Senecam extremo Hercule Oeteo ad Alcmenam matrem:

Quid me tenentem regna ſiderei poli,
Cœloq; tandem redditum, planctu iubes
Sentire fatum? parce. nam virtus mihi
In aſtra, & ipſos fecit ad ſuperos iter. Et poſtea:

Virtus in aſtra tendit; in mortem timor. Cui pulchrè ſuccinit Chorus ibidem:

Nunquam Stygias fertur ad vmbras
Inclita virtus: Viuite fortes,
Nec Leteos ſæua per amnes
Vos fata trahent; ſed cùm ſummas
Exiget horas conſumta dies,
Iter ad Superos gloria pandet.

Vide tamen Lactant. lib. 1, cap. 9. Diuin. Inſt. vbi demonſtrat, nullam in Hercule virtutem fuiſſe, ob quam dignus eſſet cœlo recipi.

Plutus Fortunæ filius] Cæcæ matris cæca proles. Vide Ariſtophanem Pluto. Vt autem ille hic malis amicus eſſe dicitur. ita contrà de Paupertate inquit Petronius Arbiter: *Neſcio quo modo bonæ mentis ſoror eſt paupertas:* Et vt idem: *Amor ingenij neminem vnquam diuitem fecit.* Cuius rei cauſam inquirit Ariſtoteles problem. 4. Sect. 29.

Plutus obiecto cuncta corrumpit lucro] Propertius lib. 3.

Auro pulſa fides: auro venalia iura:
Aurum lex ſequitur: mox ſine lege pudor.

Iuuenalis:

Prima peregrinos obſcœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt ſecula luxu
Diuitiæ molles.

Plurimæ ſimiles ſententiæ apud Theognidem, Euripidem, Senecam ac Stobæum reperiuntur. Elegantiſſimè autem Phocylides κακῶν ἀρχηγὸν, βιοφθόρον πάντα χαλέπτοντα, πῆμα ποθεινὸν appellat τὸν χρυσόν. Vide totum locum. Eſt enim prolixior. Valde quoque huc facit quod Creon apud Sophoclem in Antigonâ prolixè commemorat, quot quantaque mala argentum humanæ vitæ importarit. Sed ipſum regem audire eſt operæ pretium.

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισιν οἷον ἄργυρος
κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε. τοῦτο καὶ πόλεις

πορθεῖ. τόδ' ἄνδρας ἐξανίστησιν δόμων.
τόδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας
χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράγμαθ' ἵστασθαι βροτῶν.
πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν,
καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι.

Hoc est, vt ego interpretari potui totidem versibus:

Mortalibus nullum æquè, vt argentum, malum
Vnquam repertum est institutum. Hoc funditus
Euertit vrbes: hoc viros sua eiicit
Domo: hoc bonæ menti magister ad mala est,
Turpes & ad res se monet conuertere.
Monstrauit hoc versutias mortalibus
Cunctas, & omnia indidit facta impia.

Sed quicquid vel Creon Sophocleus vel Phædri Hercules dicant, inter homines fit quod apud Euripidem Phœnissis dicitur:

Opes honoratissimæ mortalibus,
Rerum omnium vnæ maximas vires habent.

Sic enim exprimere studui sententiam horum versuum:

τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα,
δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Pag. 60. *Rectè loqui*] Id est, directè, sine ambagibus. παρρησιάζειν, sinceritate vti: mox enim sequitur, *Sinceritas.*

Lauare] F. *labare pœnitentiâ*, id est, labascere.

Obscœnitas] Quid hîc præcesserit, non libet, nec fas est diuinare. Coniicio, lacunam hanc inde adeò esse, quòd spurcities καὶ τὸ ἄῤῥητον propositi problematis pium aliquem Monachum exscriptorem, lectorémve horum offenderit; qui proinde totam hanc pagellam omiserit vel exsciderit, ex qua tamen velut cauda quædam remansit. Poterat etiam alterum quod sequitur problema de tribadibus & mollibus abesse: vt illud quoque quod fuit suprà de Ouium partu monstroso, nec non quod mox erit, de Canum ad Iouem legatione. Itaque vt Vlysses Sirenum cantus cerâ obturatis auribus præteruectus esse narratur, ita & iuuentutem ista, à quibus periculum & corruptela morum ipsi metuenda est, surdis auribus & clausis oculis transmittere melius est. Eadem caussa, quam dixi, Petronij Arbitri elegantissimum Satyricon ita nobis lacerauit ac detruncauit, vt vix

Orpheum

Orpheum mulieres Thracicæ, vel Pentheum Bacchæ discerpserint miserabilius.

Tribades & molles mares] τριβάδες παρὰ τὸ τρίβειν, id est, à fricando. Tertulliano frictrices, Plauto subigatrices dictæ sunt fœminæ quæ in sexum congenerem furentes nefariâ libidine sese polluunt. Hinc τριβαδικὴ ἀσέλγεια apud Lucianum Ἔρωσι.

Molles sunt apud Plautum quoque & alios, qui idem scelus non nominandum, quodque vt Imp. Constantinus ait, non proficit scire, ab aliis eiusdem sexus patiuntur: Vnde & Pathici Catullo, &c. Ouid. de Philoctete ait talem fuisse:

Mollis erat, facilisq; viris Pœantius heros.

Tacitus 15. Annal. *Quinctianus molli corpore infamis*: vel (vt quidam legunt) *mollitie corporis infamis*. Primus autem inter homines quidem huius sceleris inuentor Laïus pater Oedipi fuisse perhibetur, rapto ad stuprum Chrysippo Pelopis filio: inter Deos autem ipse eorum princeps Iupiter, rapto Ganymede. Docuit me Scholiastes Æschyli his verbis in argumento Tragœdiæ quæ inscribitur ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. φασὶ γὰρ, ὅτι τοῦ Πέλοπος υἱὸν Χρύσιππον ὁ Λάϊος ἥρπασεν, ἐρασθεὶς αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς συνεγίνετο, καὶ πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἐρρενοφθορίαν ὑπέδειξε, καθάπερ δὴ καὶ ὁ Ζεὺς ἐν θεοῖς, τὸν Γανυμήδην ἁρπάσας. Inter Poëtas infamis est hoc nomine Ibyus Rheginus, quòd παιδεραστὴς fuerit: teste Cicerone 4. Tusculan. Athenæo & Suida. ἡδύ τι πειθοῦς Ἴβυκε καὶ παίδων ἄνθος ἀμησάμενε, inquit Epigrammatarius lib. 1. Antholog. tit. εἰς ποιητάς.

Idem] Nempe Æsopus.

Qui] Scil. vulgus. nam veterum more vulgum genere masc. vsurpat. Sic Plautus, Horatius, Apuleius, Minutius Felix, Ausonius, alij.

Inrigatus multo venas nectare] Vinum in venas vsque penetrare credebant. Vnde & Horatius generosum & lene requirit,

Quod curas abigit, quod cum spe diuite manet
In venas animumq;.

P. 61. *Virginale*] Apuleius virginale vocat in Apologia, vt Prudentius & B. Augustinus & Solinus, eam virginei corporis partem, vnde sexus cognoscitur: quod & fœminal dicitur. Euripides Alcestide κόρευμα vocat. Ait enim: ὦ λέκτρον,

κτερον, ἔνθα παρθένιον ἔλυσ' ἐγὼ κηρίυματ' ἐκ τῶνδ' ἀνδρῶν. Perinde vt Catullus: *Zonam soluere virgineam.*

Vestræ fortitudinis] Malim, *pares fortitudini.*

Mutatur dies] F. *mutato die*, & tollenda hinc capitalis distinctio, aliàs ἀνακόλουθον erit.

Periculo] F. *periclo*, vt suprà. Est autem hoc sententiosè dictum, alludens ad illud prouerbiale: πληγεὶς ἁλιεὺς νόον οἴσει: *Piscator ictus sapiet.*

Parcè gaudere oportet, & sensim queri.] De moderatione animi in vtraque fortuna passim obuia sunt apud bonos auctores præcepta. Sufficiat hîc vnica Varronis sententia περὶ τύχης: *Sapiens & bonum ferre potest modicè, & malum fortiter ac leuiter.*

Totam quia vitam miscet dolor & gaudium] Sententia est Platonica, quam sic expressit Seneca:

Nulla sors longa est: dolor & voluptas
Inuicem cedunt: breuior voluptas.

Sic Quadrigarius apud Nonium ait, gaudium & ægritudinem alternatim sequi. De hâc mixtura elegantes extant versus Euripidis à Plutarcho relati ἐν τῷ περὶ εὐθυμίας:

οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά.
ἀλλ' ἔστι τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς.

Quos ita transtuli:

Bonum à malo esse separatum non potest.
Mixtura quadam si vtriusque sit, benè est.

P. 62. *Fimoq; turpi maximam explerent famem*, Et mox: *naribus scrutantur escam in stercore*] Mirum verò, veteres fimo ac stercore canes suos pauisse: quod & suprà indicabat pag. 28. *Triuio conceptus & educatus stercore.* Quod ait, Triuio (pro in triuio) conceptus, luculenter describit Lucretius lib. 4.

Nonne vides etiam, quos mutua sæpè voluptas
Vinxit, vt in vinclis communibus excrucientur?
In triuiis quùm sæpè canes discedere auentes,
Diuersi cupidè summis ex viribus tendunt,
Cùm interea validis Veneris compagibus hærent.

Oppianus noster Halieut. 1.

ἐπεὶ μάλα δηρὸν ἕκαστοι
ἐξόπιθεν συνέχονται, ἀρηρότες ἠΰτε δεσμῷ.

Citati non respondent] Hoc quoque dicitur ex formulis & verbis

verbis iuris: *Citatum respondere*, vel *non respondere*, scil. ad vocem præconis. l. 8. D. de in integr. restit. l. 37. D. de iudiciis. l. 10. D. de publ. iudic. Gell. lib. 11. c. 1. Ascon. Pædian. in 3. Verrin. Sueton. Tiberio: Quintilian. lib. 6. c. 5. Quæ loca diligenter animaduertit Fr. Duarenus 1. Disput. c. 7.

Odore] Sic infrà p. 63. odorem dixit pro aromatis: in quo significatu vsitatior est pluratiuus numerus: *odores*. Exempla quondam mihi obseruata in Epistolicis Exercitation. ad Ausonium lib. 2. ep. 26. Sic Impp. in l. 12. nullus omninò. C. Th. de pagan. sacrific. & templ. penates odore venerari dixerunt. Sed proponamus locum meliùs distinctum quàm vulgò: *Nullus omninò* &c. *sensu carentib. simulacris vel insontem victimam cædat, vel secretiore piaculo larem igne, mero genium, penates odore veneratus, accendat lumina, imponat tura, serta suspendat* &c. Illud quidem *mero genium* iam alij ante nos rectiss. animaduerterunt ac restituerunt. Sed ceteræ non minùs probæ certæq. sunt emendationes. nam & mox ibidem sequitur: *Si quis verò mortali opere facta, & æuum passura simulacra imposito ture venerabitur.*

Mandant] F. *mandata dant: dein dimittuntur*: vel, *deinde mittuntur*. Sic suprà p. 17. *dant Mercurio mandata*. Est autem vsitatissimum de legatis ita loqui. Homerus ἐφετμὰς, vocat. μεμνῆσθαι ἐφετμέων.

Non est legatos regis non dimittere] Nimirum ne ius gentium ipsis detentis violetur: quo iure illi sancti & inuiolabiles sunt. Vide Liuium lib. 5. & passim. Vnde Cato apud Festum: *Caduceatori*, inquit, *nemo homo nocet*. Et Cæsar lib. 3. Bel. Gal. *Quantum in se facinus admisissent, intellegebant: Legatos, quod nomen apud omnes nationes sanctum inuiolatúmque semper fuisset, retentos ab se & in vincula coniectos.* Cicero de Aruspic. responsis: *Oratores contra ius fasq; interfectos.* Et mox: *Sic enim sentio: Ius legatorum cùm hominum præsidio munitum sit, tum etiam diuino iure esse vallatum.* Statius Papinius denique lib. 2. Thebaid. Legatum appellat: *Sanctum Populis per secula nomen.*

P. 63. *Ne quis discat prodesse improbis*] Quia, vt ait vetus Epigramma incerti auctoris lib. 1. Anth. tit. εἰς εὐχαρίστους καὶ ἀχαρίστους.

ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

Id est,

Id est, *Improbitas nullo flectitur obsequio:* Vt Alciatus Emblem. 64 reddidit. vel, vt Claudius Minos: *Vertere naturam gratia nulla potest.* Vel, vt amicus noster Gregor. Bersmannus vir doctissimus,

Naturam obsequiis flectere nescit amor.

Iubemur tamen Patris nostri cælestis imitari exemplum, qui solem suum facit oriri, & pluit non minùs super improbos quàm super bonos, vtrisque pariter benefaciens: Iubemur & inimicos nostros diligere: Iubemur persecutoribus nostris bonum pro malo rependere: qui si nos sumus, quales esse debemus, non possunt alij esse quàm improbi.

Vitæ meæ] Id est, mihi. vt Plautus, *ætati tuæ*, pro tibi. an, *vitæ meæ*, id est, victui meo? vt & apud Græcos βίος sæpissimè, & apud Latinos aliquando *vita* vsurpatur.

P. 64. *Vt careas somno*] Peruigil, ἄγρυπνος.

Nec sumis tibi, nec vlli donas] Similis fabula recitatur de Cane in præsepi, qui fœnum, cui incubat nec ipse esse potest, bobus tamen inuidet ac denegat.

Liberè si dixero] ἐὰν παῤῥησιάσω.

Diis est iratis natus] Prouerbiale est de homine inuenusto ac misero, cui nihil bene succedit. Horat. 2. Satyr. 3.

Iratis natus paries Diis atque Poëtis.

Sic supra p. 37. *Sinistra quos in lucem natura extulit.* Sic alij, *Deo irato meo.* Et Plautus non absimili modo *Genio aduerso* dixit alicubi. At felicem denotare volentes ac venustum, dicunt, *ipsi nascenti Deos risisse, ipsum placido numine vel lumine vidisse* aut *aspexisse*. Virg. Aen. 1. *haud credo inuisus cœlestibus auras Vitales carpis*, &c. Dicebantur quoque *Dij bonum nascenti omen sternutasse.* qua de re curæ pretium fuerit videre quæ Scioppius noster scribsit Verisimil. lib. 4. cap. 12. Vsque adeò etiam paganis persuasum fuit & à naturâ insitum, Diuinum numen esse, cum quo omnia & sine quo nihil hominibus feliciter cedat.

Abiturus] Sic Plautus: *abire in communem locum*: quod idem alibi, *ad plures se penetrare* dixit. Est autem & hoc ex Festo notum, *Abire* & *abitionem* absolutè poni pro morte: quod est τὰ ἐκλήρε μαλθακῶς λέγειν. Ac significat Tertullianus lib. De Testimonio animæ, paganorum fuisse hoc dicterium de mortuo: *Abiit & reuerti debet.* Est autem hæc grauissima pariter & elegantissima insectatio auari, cuius

cupiditati

cupiditati nihil ſatis eſt, & qui quod habet non habet. Ceterùm de miſeriis auarorum pleni ſunt Sapientum libri tam Sacrorum quàm τῶν ἔξω: quorum ſententias aliunde petere in promptu eſt, inprimis ex Stobæi collectaneis. Tantùm hîc adſcribam vnum & alterum mimum.

Auarus ipſe miſeriæ cauſſa eſt ſuæ.

Et: *In nullum auarus eſt bonus; in ſe peſſimus.*

Et: *Auaro tàm deeſt quod habet, quàm quod non habet.*

Et: *Auaro quid mali optes, quàm vt viuat diu?*

Et: *Auarus niſi cùm moritur, nihil rectè facit.*

Gaudium heredis] Quia, vt habet alius mimus Publij: *Heredis fletus ſub perſonâ riſus eſt.* Eleganter riſum perſonatum vocat, fletum heredis. non enim eſt ſerius, & cito exareſcunt hæ Crocodili lacrimæ. Sic Germani quoque dicunt de eo, qui moritur, relictis heredibus extraneis (πειμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον vocat Pindarus) *Er hat nur lachende erben.*

Cælum fatigas ſordido periurio] Verbum *fatigare* ſignificat creberrima periuria, quæ vel multitudine & crebritate ſua ipſum Iouem & alios Cœlites audiendo delaſſare valeant. Vide Iuuen. Satyr. 13.

Circumcidis impenſam funeris] Id eſt, remoues atque abijcis. Eleganter dictum, quomodo Celſus circumcidere vinum non ſemel dixit: vt lib. 4. c. 20. *circumcidendum vinum eſt in totum annum*, id eſt, abſtinendum à vino. Vbi tamen rectiùs fortaſſe abeſſet *annum*; quod nomen ab aliquo aſſutum videtur, qui non intelligens formulam, *in totum*, quam Græci exprimunt per ὅλως, putauit aliquid deeſſe. *In totum* aliàs *ex toto* vſurpat idem Celſus: vt lib. 6. c. 9. *In dentium autem dolore vinum ex toto circumcidendum eſt.* Quis hîc tam bardus, vt putet deeſſe *anno*? Sic idem lib. 4. c. vlt. *ambulare circumciſa omni negotioſa cogitatione vel actione*, id eſt, remota. Sed circumciſos aut ſublatos ſumtus dixit Liuius l. 42. Et alibi ſtipendia circumcidere, idem Liuius, vbi ſignificare videtur diminuta ſtipendia.

Ne quid] Malim: *ne quod lucrum*: vel, *ne quid lucri.* Elegantiſſimè verò in huiuſmodi auaritiam luſit & archimimus ille, qui funeri Veſpaſiani pro more adhibitus, vt viui dicta factaque exprimeret, cùm ex procuratoribus quæſiuiſſet, quanti funus & pompa conſtaret, iique reſpondiſſent HS. centies, exclamabat, C. *ſibi ſeſtertia darent, ac ſe vel*

in

in Tiberim proiicerent, insepultum. Epigrammatarius quoque festiuè in Auarum lusit, qui à suspendio sui sola restis caritate fuerit deterritus.

Dignum memoriæ] Nisi quis legere malit *memoriâ*, dicam esse Græcismum hominis Thracensis: ex illo, ἄξιον μνήμης. Sed tamen infrà p. 70. dixit; *dignum longâ memoriâ.*

Contendet quouis pignore] Sic Catullus Epig. 41. *Quouis Sabinum pignore esse contendunt.* Et Cicero lib. 7. ep. 33. ad Volumnium: *vt sacramento contendas mea non esse.* Virg. in Bucolicis, certare pignore, eodem significatu dixit.

P. 65. *Homo doctus in se semper diuitias habet*] Quia ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς. id est, *Doctrina domino haud eripi potest suo.*

Quo paupertatem sustinerat facilius] Ergo *paupertas impulit audax Simonidem, vt versus faceret* (vtor verbis Horatij) & quæstui habuit poësin suam. Notatres est de duabus thecis seu arculis Simonidis, quarum vnam aiebat esse gratiarum, quæ ipsi habebantur agebanturve pro versibus in laudem alicuius compositis: alteram nummorum aliorumq́. munerum, quæ ab iisdem ad se redibant. Priorem semper vacuam atq. inutilem se experiri dicebat: Posteriorē solam vtilem ac oportunam, ad incidentem aliquam necessitatem subleuandam. Vide Stobæum Serm. x. Exemplum auaritiæ & ἐργολαβίας eius elegans & festiuum Aristoteles annotauit lib. 3. Rhet. cap. 2. Ait enim, rogatum aliquando Simonidem à quodam, qui mulabus vicisset, vt eam victoriam pæane, vel ἐπινικίῳ aliquo celebraret; sed præmium pro eo offerret, quod Simonidi nimis exile videbatur, carmen facere recusasse, quòd diceret se grauari mulas laudare: nihil in tàm sterili argumento dignum laude reperiri posse. Ac ille cùm addidisset tantum, quantum auaritiæ Simonidis satis videbatur, incepisse Poëtam hunc in modum, exordio satis magnifico:

χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Id est, *Saluete velocium natæ equorum.*

Quasi mulæ non etiam asinarum essent filiæ. Sed Poëta callidus, cui iam dolosi spes refulserat nummi, id videlicet excerpsit, quod erat in proposita re præstantius, indeque sumsit epitheton. Sed & Callimachus doctissimus Poëta hanc Simonidis quæstuariam Poësin auersatus est: id quod

satis

ſatis hi eius verſus declarant: οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω τὴν μοῦσαν ὡς ὁ Κεῖος ὑλλίχου νέπους. Eſt enim hæc periphraſis Simonidis nati in Ceō (non, vt editum eſt, *Cao*) inſula, auo Hyllicho. (Vnde Auſonius Ceum vocat, Profeſſ. 14. *Carminibus quæ prima tuis ſunt condita in annis, Concedit Cei muſa Simonidei.*) Idemque ante hunc, ſed tectè, ſcripſerat Pindarus Iſthmion. Non tantùm autem pecuniæ amans & auarus fuit Simonides; ſed & vitæ. Interrogatus enim in ſenectute à quodam quàm diu vixiſſet: Annos equidem, inquit, multos, parum tamen: teſte Stobæo.

Zonas] In quibus conditam geſtabant pecuniam. Sic vtitur Horatius 2. ep. 2.

Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit, inquit.

De quo prouerbio vide Eraſmum Chil. 1. cent. 5. prouerb. 16. Eleganter C. Gracchus apud Gellium lib. 15. c. 12. *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex prouinciâ inanes r[illegible].* Quia, vt Martialis ait, *Semper pauperior redit poteſtas.*

Simonide, tu ex opibus nihil ſumis tuis?] Hic nota interrogationis deerat, quam addidi.

Familiâ] Id eſt, ſeruo vno & altero ei adiuncto.

Tabulam ſuam porrigunt, rogantes victum] Lege aut certè ſcande, *porgunt.* Naufragi (quod ex Iuuenali quoque diſcimus) ſtipem oſtiatim corrogare ſolebant, in tabulâ quadam depictum exhibentes naufragij ſui caſum, commiſerationis commouendæ. Porrò cum hac hiſtoria ferè conuenit quod de Ariſtippo narrat Vitruuius procemio VI. de Architectura: ex quo nonnulla huc adſcribam, quòd ſciam non in omnium manibus eum auctorem verſari, & tamen eam narrationem, eique aſperſas ſententias noſſe prodeſt omnibus. Audiamus ergo Architectum:

Ariſtippus Philoſophus Socraticus, naufragio cùm eiectus ad Rhodienſium litus, animaduertiſſet Geometrica Schemata deſcripta, exclamauiſſe ad comites ita dicitur: Benè ſperemus. hominum enim veſtigia video. Statimq; in opidum Rhodum contendit, & rectà gymnaſium deuenit, ibiq; de Philoſophia diſputans, muneribus eſt donatus, vt non tantùm ſe ornaret, ſed etiam eis qui vnà fuerant veſtitum, & cetera quæ opus eſſent ad victum præſtaret. Cùm autem eius comites in patriam reuerti voluiſſent, interrogarentq; eum, quidnam domi vellet renuntiari: tunc ita mandauit dicere: Eiuſmodi poſſeſſiones & viatica liberis oportere parari-

ri quæ etiam naufragio vnà possent enatare. Namque ea vera sunt præsidia vitæ, quibus neque fortunæ tempestas iniqua, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vastatio potest nocere. Non minus eam augendo Theophrastus hortando doctos potiùs esse, quàm pecuniæ confidentes, ita ponit: Doctum ex omnibus solum neque in alienis locis peregrinum, neque amissis familiaribus & necessariis inopem amicorum; sed in omni ciuitate esse ciuem, difficilesq; fortunæ sine timore posse despicere casus. At qui non doctrinarum sed felicitatis præsidiis putaret se esse vallatum, labidis itineribus vadentem, non stabili sed infirmâ conflictari vita.

Et mox: *Pauca sapientibus fortunam tribuere: quæ autem maxima & necessaria sunt, animi mentisq; cogitationibus gubernari.* Et rursum: *Omnia enim munera fortunæ cùm dantur, ab ea facilimè adimuntur. Disciplinæ verò coniunctæ cum animis nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum* [illegible]

Ibidem (vt hoc obiter moneam) corrigendus mihi videtur Vitruuius, cùm ait: *Omnium Græcorum leges cogunt parentes ali à liberis: Atheniensium non omnes, nisi eos, qui liberos artibus erudissent.* Delendum fortasse τὸ *omnes*, quod redundat, & lego: *non nisi eos* &c. Vel, *Nisi eos*, accipe pro, sed tantùm eos. Quomodo & Terentius alicubi loquitur.

P. 66. *Mons parturiens*] Græcorum adagio fuit: ὤδινεν ὄρος, εἶτα μῦν ἀπέτικε. Notus est etiam vulgo versus Horatij:

Parturiunt montes; nascetur ridiculus mus.

Item alter: *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?* de magnificis, verum inanibus promissis & molitionibus.

Quid ille pareret: at ille] Suauis est ista geminatio τοῦ *Ille*.

Hoc scriptum est tibi] Videtur tale quiddam præcessisse: *Quicunque vidit* (vel, *inaudiit*) *risit. hoc scr.*

Qui magna cùm minaris] κατάχρησις est in verbo, *minari*, pro, polliceri. Vt Horatius:

Atqui vultus erat multa & præclara minantis.

Id est, promittentis. Atque adeò Promittendi verbum non aliter sæpe vsurpatur. Petronius de sene Eumolpo: *Senex canus, exercitati vultus, & qui videretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus.* Vbi accipi potest Promittere de Vultu, quasi eius voltus insignem aliquam eruditionem promitteret, hoc est, præ se ferret.

Nihil

Nihil agere quod non prosit fabella indicat] Idem versus totidem verbis fuit p. 51, nisi quòd ibi pro, *indicat*, est, *admonet*. Traditur autem hoc vitæ humanæ vtilissimum præceptum etiam à Seneca: Quod in practicis quidem & in ποιητικοῖς verum est: Sed in scientiis Theoreticis fallit, vbi non ad vtilitatem aliquam, sed ad se ipsam & ad humanæ mentis perfectionē contemplatio refertur: vt Philosophi docent.

Matronarum, casta oscula] Hypallage, pro, *matronarum castarum oscula*.

Abigeris quo venis] Pro, illuc vndè venisti. Prouerbiale quiddam sapit hæc formula, etiam sacris literis & Germanis nostris vsitata: *Abire vnde veneris*. Cui similē obseruaui apud Guntherum. Significatur inanis & irrita profectio & machinatio. *Illuc vnde malum pedem tulisti*.

Inuitatur, inuisus] ἀντανάκλασις venusta.

Nihil laboras: ideò cùm opus est nihil habes] Nam, vt eleganter & verè ait B. Ignatius Epist. 4. μήτηρ τῆς ἐνδείας ἡ ἀργία. At contrà, secundùm alios, ὁ πόνος οὐ μόνον εὐκλείας, ἀλλὰ καὶ πλούτου πατήρ. Multa in hanc sententiam habet Salomon in Prouerbiis, & Siracides in πανάρετῳ σοφίᾳ: quæ cuique in promtu est apud illos legere.

P. 67. *Picte*] Id est, ornatè, splendidè, ποικίλως. Sic pingere pro ornare suprà quoque vsurpabat p. 32. Quod enim Colero videbatur legendum, *ficte*, non probo. quamuis ille defendat hoc argumento, quòd fingere Poëtarum sit proprium: & quia apud Nonium, *Populum salute & fictis versibus Lucillius, quibus potest, impertit*. Malim quoq. hic pro, *victoris*, legere, *victori*. Nomen ei Scopas fuit, homini fortunato & nobili Cranone in Thessalia.

Conduxit] Velut Redemtor quidā operis, quem IC[ti] vocant. Vnde mox sequitur: *opus adprobauit*: quod genus loquendi ex vsu iuris mutuatus est Phædrus: vt & alia quædam. Vide lib. 24. si in lege. in pr. & l. 36. opus. & l. seq. D. Locat. Brisson. lib. De formul.

Secretum petIt] Quia, vt Ouidius ait,

Carmina secessum scribentis & otia quærunt.

Vnde nos ad Emblema de passere solitario in 3. Centur. Ioach. Camerarij V. CL. sic faciebamus:

Secessus praclarum aliquid meditantibus aptus.
Namque boni in strepitu nil peperisse queas.

 Alludit

Alludit eodem & Martialis. Scripsi autem *petIt*, pro, *petiit*. Quomodo etiam pag. præcedenti vel legendum, vel certè scandendum est, *perIt*, non, *periit*, vt editum est.

Poëta moris] Malim, *Poeta*. an, *moris Poëta*, id est, Poëtici? Sed quis ille mos est de quo dicit? Præceptum hîc secutus est Simonides illud, quod inculcat Aristoteles in Topicis: vt si materia nobis inanior, aut sterilior obtigerit, illuc orationem deducamus, vbi abundare, & à proposito digredientes velut in campo liberè excurrere, atque exultare possimus. Quod & Pindarum sæpè factitasse, videmus, & Horatium aliquando. Eundem Poëtarum morem ornandi caussa vsurpatum à Simonide fuisse etiam Cicero indicat. Ex illo enim sumpta est hæc narratio lib. 2. De oratore. Sed non parum eam locupletauit & exornauit Phædrus, vt lectorem docebit collatio. Quamquam illud omisit quod tradit Cicero, Simonidem hac occasione artem inuenisse memoriæ, & ex eo quòd meminisset quo eorum quisque loco cubuisset, demonstratorem vniuscuiusque sepeliendi fuisse, cùm alij neque Scopam, neque ceteros conuiuas cœnaculi ruinâ oppressos atque obtritos vllo modo internoscere potuissent. Vide & Valerium Max. l. 1. c. 8. De miraculis.

Reliquüm] Vt suprà p. 30. & 41.

Vt ne ira te dimissum sentiam] Lego, *vt ne iratum te dim. sen.* Pithœus tamen in vetustiss. se legisse testatur: *iratè te dim. sen.*

Ad cœnam mihi promitte] Phrasis Plautina, qua ille in Menæchm. & Sticho vtitur. Aliud est Condicere alicui ad cœnam, vel cœnam condicere, vel etiam absolutè, condicere alicui, apud eundem Plautum Sticho, & Ciceronem ac Suetonium. Promittit ad cœnam inuitatus: Condicit qui prior & vltrò seu inuocatus denuntiat, se apud alterum cœnaturum: quod non nisi familiarissimi factitant.

P. 58. *Sparsi puluere, Sudore multo defluentes corpora*] F. *diffluentes*. Sic de iisdem geminis Pollucibus victoriam Romanorum à Perse Macedonum rege reportatam nuntiantibus cùm loquuntur historici & alij auctores, sudorem & puluerem, vel etiam puluerem cruoremq. ipsis tribuunt. Vide L. Annæi, siue Flori lib. 2. tit. De bello Macedonic. 2. Symmachum lib. 1. ep. 89. Latin. Pacat. Drepan. Panegyric. Valer. Max. lib. 1. c. vlt. Lactant. lib. 2. c. 8.

Exsi-

Excitat] Id est, forâs euocat, quod paulo antè dixerat, *prouocat.* Sic infrà p. 73. *Concitat*, pro conuocat. Citare pro vocare etiam Guntherus noster sæpè vtitur: vt, *in ius debere citari.* &c.

Numinum præsentiam] Castoris scilicet & Pollucis: de quibus suprà sic dixit:

Atque interposuit gemina Ledæ sidera.

Notum est enim, ex ouo Ledæ hos duos velut pullos exclusos esse. Vnde Horatius:

Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

Hi ergo gemini laudatori suo gratam hanc vicem rependerunt, vt eum ab interitu ac ruinæ oppressione eriperent incolumem. Sic alias quoque fructum pietatis retulit Simonides, quantumuis alioquin ob auaritiam malè audiat. Cùm enim ignotum quendam proiectum mortuum vidisset, humauissetque commiseratione & humanitate ductus, & haberet in animo nauem conscendere: per quietem moneri sibi visus est, ne nauigaret, ab eo quem sepulturâ affecerat. Si nauigaret, eum periturum esse naufragio. Itaque mutato consilio rediit Simonides, perierunt ceteri, qui tum nauigarant: teste Cicerone lib. 1. De Diuinat. & Valer. Max. lib. 1. cap. 7. Vsque adeò ne falsæ quidem religionis contemtus cuiquam impune abiit, nec vllum rectè factum præmio suo caruit. ἔστι δικαιοσύνης τε καὶ εὐσεβίης μέγ' ὄνειαρ, vt Musæo suo canit Orpheus.

Τοῖς δ' κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστὸν
οὐδ' ἀπαραίτητον, οὐδ' εἰ Διὸς ἔκγονοι εἶεν.
ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῇσι καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσιν
ἰλεῖται, καὶ πῆμα δ' ὀργεῖς ἐπὶ πήμασι βαίνει:

Vt habet oraculum Sybaritis redditum apud Ælianum l. 3. huius sententiæ:

Improba facta manet sua pœna, nec hanc mora tollit,
Nec patet effugium, quamuis Iouis inclita proles
Sint, qui peccarunt: sed pœna supra caput astat,
Persequiturq́ domum & noxam excipit altera noxa.

Prioris regulæ exemplum præbet Simonides; posterioris Scopas cum suis.

Destringit] F. *distringit.* Sic & alibi ista perperam permutata reperi.

Quod es pollicitus] Leg. metri causa, *policitus.*

Nam vita morti propior est cotidie] Hanc ſententiam eleganti comparatione illuſtrauit Poëta quidam recentior:

Velut ſecundo vecta nauis flumine
Senſim propinquat littori: ſic indies
Viuendo morti appellimur propinquiùs.

Si celeriùs cœpero] Scilicet frui. an, *cepero*, id eſt, accepero, ſcilicet, munus promiſſum?

Et mors vicina flagitabit debitum] Nam, vt Hercules ait apud Euripidem Alceſtide:

βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.

Debitum ergo dicit vitam, quæ data eſt vtenda, *data eſt ſine fenore nobis Mutua, nec certa perſoluēnda dis.* Vt ait Pedo in Elegiâ de morte Druſi. Artemidorus quoque in Onirocriticis lib. 3. c. 41. debitum ex mutuo & vitam facit ἀνάλογα. Δάνειον τῷ ζῆν τὸν αὐτὸν ἔχει λόγον. ὀφείλομεν γὰρ καὶ τὸ ζῆν τῇ τῶν ὅλων φύσει, ὡς καὶ τὸ δάνειον τῷ ἐγχειρίσαντι. ἔστι ὁ δανειστὴς τοῖς νοσοῦσιν ἐφιστάμενος καὶ ἀπαιτῶν, κίνδυνον σημαίνει· λαμβάνει δέ τι καὶ θάνατον. Dixi, debitum ex mutuo. hoc enim eſt δάνειον: non autem quoduis debitum, vt Cornarius vertit. δανειστὴς, & Latinè Daniſta, eſt fœnerator.

P. 69. *Sæpe impetrauit veniam confeſſus reus*] Nam erranti medicina confeſſio eſt: Atque, vt ille ait, *Proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio.* Sed tamen, vt inquit Mimus:

Mala cauſa eſt quæ requirit miſericordiam.

Difficulter continetur Spiritus,
Integritatis qui ſincerè conſcius] Alludit ad ſententiam verſus Sophoclei:

ξὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν.

Id eſt, *Nam iuſta cauſa ſpiritum attolli iubet.*

Eodemque ſenſu Plautina Alcumene ad Amphitruonem ſuum ait: *Quæ non deliqui, decet audacem eſſe, & confidenter pro ſe & proteruè loqui.* Et Pſeudolus: *Decet innocentem qui ſit atque innoxius, Seruum ſuperbum eſſe apud herum potiſſimum.*

A noxiorum premitur inſolentiis] Seiani ſcilicet, quem ſibi accuſatorem, teſtem ac iudicem ſimul fuiſſe, conquerebatur & ſuprà p. 39. Quanta autem huius Seiani potentia fuerit aliquandiu in aula Tiberij Imp. vt etiam dominationem captauerit, ac regnum ſibi parare cogitarit tandem, notum

tum

tum est ex Iosepho lib. 18. Antiquit. Iud. & ex Tacito lib. 1. & 4. Annal. vbi eius σωματογραφία.

Apparebunt tempore] Vt Græci dicunt χρόνῳ item χρόνιον, id est, tandem. Exempla multa apud Euripidem aliosque occurrunt. Alludit autem simul ad sententiam vet. versus:

ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Id est, *A tempore in lucem profertur veritas.*

Legi puer sententiam] Ideo enim pueri ediscimus Poëtarum gnomas, vt olim viri facti in grauibus deliberationibus atque ad omnes vitæ partes illis vtamur: vt verissimè ait Æschines in Ctesiphontem. Versus autem sequens ex Ennij Telepho sumtus est: quod me docuit Festus in Mutire: vbi tamen sic legitur:

Palam mutire plebeio piaculum est.

Non, vt hic, *periculum est.* Vtra pensior sit lectio, οὐκ ἔχω εἰπεῖν. quanquam Schoppius meus præscribebat, *periculum*; Nathan Chytræus, *piaculum*, malebat. Pro, *memini*, versus postulare videtur, *meminero.*

Terminum operis habere] F. *addere.*

Damnaui] Deesse videtur, *meum.*

Coloris propior] F. *proprius.* præcessit enim, *sua cogitatio.* Sæpè autem, *suus & proprius*, ἐκ παραλλήλου iungi solent.

Particulo] Particulones aliâs dicti sunt Coheredes, quòd partes Patrimonij sumant: inquit Nonius. At hic proprium nomen est.

P. 70. *In literarum plausum*] F. *literatum pl.* id est, approbationem literatorum hominum promereri cupio. Quasi dicat, Quid de me vulgus, illiteratum, profanum, & malignum iudicet, οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ. *Odi profanum vulgus & arceo:* vt ait Horatius, & ex eo Petronius Arb. De volgo ab eruditis hominibus contemnendo nõnulla notauit æui nostri gloria Ios. Scaliger in notis ad Catull. quibus addas licet Propertianum:

—— populi confusa valeto

Fabula. nam dominâ iudice tutus ero.

Vaciuè] διὰ χολῆς. Vaciuus, pro vacuus, Plautinum verbum.

Imitari dum non possit, obtrectet licet] Semper enim hoc quàm illud facilius fuit. ῥᾷον γὰρ μωμήσεται ἢ μιμήσεται: Et, μωμήσεταί τις θᾶσσον ἢ μιμήσεται.

 Id est,

Id est, *Non tàm æmulari quàm reprendere est facul.*
Vnde & Theognis sapientissimus apud Græcos Gnomologus ait:

> *μωμεῦνται δέ με πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,*
> *μιμεῖσθαι δ' οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.*

Id est, *Carpunt me multi, pariter prauiq́; boniq́;*
At nostrum ex rudibus nemo imitetur opus.

2. *Plus vetustis nam fauet Inuidia mordax, quàm bonis præsentibus*] Eadem & Horatij (lib. 2. Epist. 1.) querela est de iniquitate iudiciorum; qua plerique præsentia & quæ ante pedes sunt, fastidiunt; longinqua sola, aut vetusta admirantur, inque pretio habent. De eadem peruersitate & Pindarus conqueritur Pythionic. 3. & distichon tale fecit M. Bergius meus:

> *αἰεὶ τῶν πόλιν ὄντων παρατεταγμένων μάταιοι,*
> *κεῖνο ποθοῦντες ὅπερ μακρὰν ἄπωθεν ἔφυ.*

Quod ita vertebam:

Longinquis inhiant, spernuntq́; domestica vani,
Pro nihiloq́; putant quod iacet ante pedes.

Sic Nutrix ad Phædrā in Hippolyto Euripideâ: *οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρόν, τὸ δ' ἀπὸν φίλτερον ἡγῇ.* Sic Democritus apud Stobæum περὶ εὐθυμίας· ἀνοήμονες τῶν ἀπεόντων ὀρέγονται, τὰ δὲ παρεόντα καὶ παρῳχημένων κερδαλεώτερα ἐόντα ἀμαλδύνουσιν. Et Ioach. Camerarius grauissimè, vt omnia, in eandem sententiam scribit in Appendice Iamborum Philæ:

> *ὧδε δ' ἀμαθὲς καὶ σκαιὸν ἐστὶ τὸ γένος βροτῶν*
> *μωρόν τε φῦλον, κἀνόητον, ὥστε ἢ*
> *τἀπόντα μαστεύειν ἀπεῖναι ἐλπίδα*
> *πανταχόθεν ἀλλότριά τε πόρρω καὶ ξένα,*
> *ἀγαθῶν τ' ἀεὶ καταφρονῆσαι ἐπιχωρίων.*

Hoc est, interprete Gregorio Bersmanno:

Sic læua mens est & rudis mortalibus
Fatuaq́; caréns que intelligentiâ, irritâ
Vt persequatur spe petens absentia,
Procúlque vestigans remota, raráque,
Popularium que copiam fastidiat.

Ausonius Idyll. 15. *Spernimus in commune omnes præsentia.* Et Profess. 6. *Dum spem remotam semper arcessis tibi, Fastidiosus obuiæ.* Vsque adeò sunt homines plerique δοῦλοι ἀτόπων, καὶ ὑπερόπται τῶν εἰωθότων: vt ait seuerissim. scriptor Thucydides.

Memini

Memini etiam apud Plinium similia legisse. Sed iam satis est.

P. 71. FELICITER, *subclamant*] Scilicet vulgus.

Ipsi Principes illā osculantur, quæ sunt oppressi, manum] Sic distinguendus est hic locus; qui antea fœde corruptus erat. Porrò illud FELICITER solemnem fuisse acclamationis formulam, qua maximè quidem ad Duces & Imperatores, sed tamen nonnunquam etiam ad alios quosuis, quibus benè vellent vterentur, constat; & annotauit quoque Ampliss. Brissonius lib, 8. de Formulis. Cuius exemplis & hoc adde, & aliud è Gunthero nostro lib. 4. Ligurini:

Omnibus egregiè lætis, totáque cateruâ
Adclamante viro faustum, Feliciter, omen.

Loquitur de Romanis Fridericum Aenorbarbum excipientibus. De antiquissimo illo more osculandi manum in honorem alicui habendo, vide Muretum lib. 10. Var. lect. c. 1. & Lipsium lib. 2. Elector. c. 6. cuius exempla magis quàm Mureti ad hunc locum faciunt. Giphanius quoque adeundus in Scholiis ad Odyss. π. Docet autem Plinius lib. xi. c. 45. dextram auersam osculis appeti solere, id est, partē eius exteriorem. Quod tantum de osculo manus alienæ verum est. Nam propriæ pars aduersa siue interior adoratur, hoc est, ori admouetur. De pedum verò osculo sciendum, id nimis seruile atque abiectum fuisse habitum, & non nisi tyrannis exhiberi solitum. Vide Dionem in Caio Calig. & Capitolinum in Maximino. Porrò Demetrius iste Phalereus (vt de eius vita ac fortuna quædam annotemus) orator fuit, & Philosophus excellens, vnus ex Theophrasti discipulis: vt Cicero quoque indicat 1. de Off. Et extat hodieque eius liber περὶ ἑρμηνείας, seu de Elocutione. Est autem memorabile in eodem exemplum leuitatis & inconstantiæ fortunæ auræque popularis. Primùm enim in tantum honorem fuit Demetrius apud populum Atheniensem, vt ei trecentas ipsius statuas virtutis & meritorum ergo posuerit. Tandem verò vsque adeò flagrauit inuidia, vt & solum vertere coactus sit, fugiens in Ægyptum: & CCC. illæ statuæ omnes vno die per tumultum euersæ, atque conflatæ fuerint. Vide Plutarch. πολιτικ. παραγγέλματ. & περὶ φυγῆς: vbi ait, principe ipsum loco Alexandriæ fuisse inter amicos regis Ptolemæi, tantaque omnium rerum copiâ abundasse, vt non mo-

dò ipse sibi sufficere & patriâ facilè carere, sed etiam Atheniensibus munera mittere potuerit. Ita nimirum τὸ νίκημα πᾶσαν γῆν πατρίδα: Et

ἅπας μὲν ἀὴρ αἰετῷ περάσιμος,
ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Id est, *Vt omnis aër peruius aliti est Iouis:*
Sic omne forti patria est solum viro.

Edoctus igitur propriis euentis quanta esset fortunæ instabilitas, scitè correxit quosdã de ea versus Euripidis: vt annotarunt Plutarchus παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον, & Ioan. Stobæus Serm. ργ. Cùm enim ita fecisset Philosophus ille Scenicus:

ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος. καὶ
ὡς μικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μί' ἡμέρα
τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.

Cetera quidem omnia, inquit, verissimè dicta sunt ab Euripide: rectius tamen fecisset, si non vnum diem, sed punctum temporis omnia inuertere dixisset: εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου. Est etiam memorabile huius Demetrij consilium, quod is regi Ptolemæo dedit, teste eodem Plutarcho in Apophthegmatis Regum & Principum. παρῄνει γὰρ αὐτῷ τὰ περὶ βασιλείας καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν. ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαρροῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται). Monebat Ptolemæum, vt de regno & principatu rectè administrando scriptos libros & commentarios sibi compararet, atque euolueret. In his enim eum reperturum salutaria præcepta ac monita, quæ sæpè amici regij non auderent præferre. Consiliarij enim sæpè vel metu vel assentatione à vero transuersi aguntur (*Obsequium enim amicos, Veritas odium parit*, inquit Comicus.) At verò vt leges, ita libri cum omnibus eadẽ & communi voce loquuntur, nec erubescunt, nec adulantur vel regibus ipsis. Apud eundem regem Ptolemæum adiuuit Demetrius laudatissimum illud institutum transferendi Biblia sacra ex Hebræa in Græcam linguam, quæ vulgò Septuaginta Interpretum versio appellatur. Didici hoc ex Clemente Alexandrino lib. 1. Stromat. cuius hæc sunt verba: ἑρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς, τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, ἢ ὥς τινες ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος,

τὴν

τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τὸν συγγεγραμμένον Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου.

Ne defuisse noceat] Scilicet officio. Sicut ea res Agesilao Oppiani patri Senatori Anazarbeo nequiter experiuit, quod Sept. Seuero Imp. Anazarbum aduentanti non occurrerat gratatum, cum aliis eius vrbis optimatibus. Sed de hoc in vita Oppiani nostri.

Repetunt vltimi] Quid ergo? an τὸ FELICITER repetunt atque ingeminant? An, *reptant*, legendum? quod comprobari posse videtur seqq. verbis: *Veniebat gressu delicato & languido.* nam sic qui incedunt, eos reptare dicimus, quasi testudineo gradu. Horat. epist. 4. lib. 1. *An tacitum siluas inter reptare salubres.* Seneca De vita beata, c. 18. *Ex ingenti interuallo reptabundus sequar.*

Qui nam Cinædus] F. & hîc legend. *Quia nam.* An, *Qui nam*, id est, Quomodo, quo ore, qua fronte?

Ille in conspectu meo Audet venire?] Planè ad istam faciem dixit Symmachus lib. 7. Epist. 67. *In conspectu amicorum se esse venturum.* In conspectu venire, pro in conspectum. Similiter & Nazarius Panegyrico: *Quamuis cælestia sub oculis hominum venire non soleant.* pro, sub oculos venire. Sic alij contrà, *In mentem esse*, pro in mente: *In honorem*, pro, in honore. Vide G. Schoppi mei Suspect. Lectiones lib. 1. epist. 17. De his talibus dixi etiam in exercitationibus epistolicis ad Ausonium.

Hic est Menander scriptor.] At pulcrum est, digito monstrari, & dicier, Hic est. Notum est illud de Demosthene: οὗτος ἐκεῖνος ὁ Δημοσθένης. Scriptores porrò κατ' ἐξοχὴν dicuntur apud bonos auctores οἱ κωμῳδιδάσκαλοι.

Et vindicauit sese] Hunc elegantem sed ἀκέφαλον apologum in gratiam adolescentū suppleuimus, vt quibimus. Fingamus itaque talia quædam præcessisse:

Iter duobus vnum erat sociis viæ,
Qui læta rerum & nubila ex æquo omnia
Communia ambobus fore promiserant.
Dum progrediuntur, transeundum iis nemus
Obicitur opacum densis arborum comis.
Hic obuius cùm latro eos inuaderet,
Alter, cuti suæ timens, periculo

Se

Se liberauit, adhibito auxilio pedum:
Remansit alter, & latroni restitit,
Cui conserens manum obtulit iustam necem,
Et vindicauit sese, &c. Titulus fabulæ esse potest talis:
Viatores duo in latronem incidentes.

Quantis fugias viribus] Demissis scilicet manibus, vt Plautus ait. Et noster supra p. 29. *demissis pedibus.*

Qui re secunda fortis est, dubia fugax] Qui est *Extra bella Leo, lepus in discrimine pugnæ:* vt aliquando faciebam ex hoc Nonni versu in Dionysiacis, quo θρασύδειλος denotatur:

νόσφι μόθοιο λέοντες, ἐνὶ πτολέμοισι λαγωοί.

P. 72. *Alapam sibi duxit*] Sic pugnum ducere eleganter dixit Paulus IC. in l. 4. D. De iniuriis. *Si cùm seruo meo pugnum ducere vellem, in proximo te stantem inuitus percusserim, iniuriarum non teneor.*

Punctum] Id est, punctionem.

Non fuisse mentem lædendi] Iniuria autem æstimatur ex animo cuiusque, nec absque affectu & captu contumeliæ fit, non magis quàm furtum absque affectu furandi committitur. Accedit etiam hoc loco illud, quòd nemo sibi ipsi propriè loquendo iniuriam facere potest: de quo Aristotelis disputatio in medio est libro 5. Ethic. Videtur autem hic distinguere iniuriam à cõtumeliâ; quæ vt differant, alibi docui ex Pacuuiano versu:

Facilè patior iniuriam, quæ est vacua à contumeliâ.

Item ex Seneca lib. 1. *In Sapientem non cadere iniuriam.*

Animal improbum] Muscæ improbitas & impudentia etiam in prouerbium abiit.

Quamuis pœnâ] Leg. *quauis pœna.*

Qui casu peccat, quàm qui consilio est nocens] Ad Aristotelicam disputationem hæc pertinent, quæ est lib. 3. Eth. Nicom. Veniam tribuimus ei, qui non sponte & deliberato animo, sed vel casu, vel per ignorantiam peccat. Pœna autem afficimus eum, qui consulto consilio & ἐκ προαιρέσεως peccat. Exemplo tamen est Oedipus, nonnunquam etiam eos puniri, qui κατ' ἄγνοιαν delinquunt. Quanquam enim & patrem Laïum inscius interemit, & cum matre Iocasta incestas contraxit nuptias, ignorans matrem suam esse: tamen horrendis pœnis & ipse & tota eius domus inuoluta, ac mulctata est. Sic & Papiniano auctore, vel Demosthene

potiùs,

potiùs, Lex delicta non tantùm sponte sed etiam ignorantiâ contracta interdum coërcet: ἔστι ἐπεξεργασμένα τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. Quid? quòd etiam cogitatio ac meditatio sceleris & affectus nonnunquam pro effectu punitur. Exemplum præbet Glaucus apud Herodotum l. 6. & Iuuenalem Satyr. 13.

Sancto Herculi] Colerus vult legendum esse, *Sanco*. cum vide in Plautinis.

Periculosum semper reputaui lucrum] Intellige de turpibus & iniustis lucris: de quibus Hesiodium illud notum est:

μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.

Id est, *Ne malè lucreris: mala lucra æqualia damnis.*

ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείονας

ἀτωμένους ἴδοις ἂν ἢ σεσωσμένους. hoc est,

Ex turpibus lucris periisse videris

Plures, quàm ab ipsis qui salutem inuenerint:

Vt ait Sophocles Antigonâ. Et mox ibidem:

τὰ δεινὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται.

Id est, *Lucrum improbè partum, merum infortunium est.*

Sic P. Syrus: *Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.* Multos tamen reperias, qui cum illo sentiant, nescio quo, quem sic loquentem facit Pomponius Prostibulo: *Ego rumorem parui facio, dum sit rumen qui impleam.*

Paucis temeritas est bono; multis malo] Videtur exprimere veterem versum:

προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν.

Id est, *Multis malorum est caussa præcipitantia.*

Contrà τὴν εὐλάβειαν χρησιμωτάτην θεῶν, vocat Euripides Phœnissis.

Dea vtilissima cauta circumspectio est.

P. 73. *Rebus manifestis*] τὸ S. hic quoque elidi videtur.

Fauor] De spectatoribus applaudentibus in theatro vel scena dicitur, vt infrà p. 76. *gratulari fautores putat:* Plautus:

Virtute niti oportet non fauitoribus.

Idem alibi: *Sat habet fautorum semper cui virtus fauet.*

Ciuitatem concitat] Id est, conuocat. Sic suprà excitandi verbo vtitur p. 68. pro eo quod est euocare.

Digrunnit] F. *Degrunnit.*

P. 74. *Immodica offendunt*] πᾶν γὰρ τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει.

φύσει, inquit Hippocrates. πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, vt alius fecit: καὶ γὰρ καὶ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή, id est, *Mel quoque fel fiet si nimium fuerit.* malim autem hîc, *immodica*, scilicet argutiæ.

Poëtæ sunt molesti] Scilicet recitationibus suis: quibus frequentissimis ferè enicabant homines. Nam, vt Horatius ait, *Indoctum doctumq; fugat recitator acerbus.* Tales Martialis describit tum alios Poetastros, tum Ligurinum lib. 3. quem vno & altero Epigr. perstringit hoc nomine. Talem Petronius Arbiter introducit in Satyrico Eumolpum, qui in triuiis, in balineis, in conuiuiis sua hominibus quibuslibet carmina recitarit. Quantum tamen vtilitatis habuerint recitationes vel poëmatum vel orationum inter amicos intelligentes rectè & in loco vsurpatæ à veteribus, ex Plinij Epistolis didicimus.

Heia commune quodcunque est lucri] Indicio est locus præsens, hac formula exclamandi iam olim vti solitos, si quid κοινόν τι δῦ ἑρμαῖον fortè in via repperisset alter, vt ad ambos illud pertineret. Inter nostrates quoque adhuc manet ista contestatio cùm dicunt, *Dein fundt mein halb.* Possunt hæc seruire ad declarandum Græcorum Prouerbium, quod haud scio an non satis expositum est ab Erasmo: Κοινὸς ἑρμῆς. Mercurius & lucri præses & viarum habebatur. Iure autem ciuili res inuenta non fit inuentoris propria, l. 43. falsus. §. qui alienum, & §. proinde D. de furt. l. 3. D. de incend. rui. naufr. Vnde rectè B. Augustinus: *Si*, inquit, *inuenisti, & non reddidisti, rapuisti.* De quo distinctè & pluribus suo loco.

Carbonem, vt aiunt, pro thesauro inuenimus] ἄνθρακες ὁ θησαυρός. Prouerbium de re nihili oblata ei qui pretiosam expectabat, & inhiabat, cuius spe potiundæ frustratus est. Vide Erasmum Chil. 1. cent. 9. adag. 31.

Huic querella competit] F. legend. *hæc querel.* nempe quæ præcessit: *Carbonem pro thesauro inuenimus:* vt error ex vet. scripturâ manarit: *hæc* vel *huic.*

P. 75. *Princeps*] Hæc quoque non fabula est, sed historia illius temporis. Tibicinem verò istum habuisse nomen proprium Principis, & hinc apparet, & ex versu seq. *Lætare incolumis Roma saluo Principe.* Quanquam is iocum elegantem continet ex ambiguo: cùm & de Imperatore illa acclamatio

intelligi

intelligi posset, & rectiùs quidem quàm de aliquo aulædo.

Pecma] C. pro G. positū, vt sæpissimè aliàs. dicitur enim pegma ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι, id est, à figendo: & est machina lignea in qua collocantur quasi affixæ statuæ, quæ etiam in scenam interdum proferebantur & motabantur, aut alioqui in pompa circumferebantur. Vide Senecam ep. 98. Festum, & Iosephum lib 7. ἁλώσεως.

Ad sanitatem dum venit curatio] Sic Symmachus noster vulnus in cicatricem conuenire, & cicatricem ducere dixit, lib. 1. ep. 94. & lib. 2. ep. 32.

Et lepidum genus] Colerus: *En lep genus.* cui cur adsentiar, causam nullam video.

Aulæo misso] Id est, demisso. Hoc fieri solebat initio fabulæ cuiusque. Tollebantur autem aulæa in fine, omnibus peractis, cùm spectatores dimittebantur. Vnde Horatius aulæa manentem dicit in Arte eum qui desidet vsque ad extremum actum. Idem significat M. Tullius in Orat. pro M. Cælio. *Mimi ergo*, inquit, *est iam exitus, non fabulæ: in quo cum clausula non inuenitur, fugit aliquis è manibus: deinde scabella concrepant: aulæum tollitur.* Aulæa sunt tapetes quibus parietes vel pauimentum etiam contegebatur. Nugatur ergo non præter solitum leuis & ineptus Nonius, cùm ait, esse genus vestis peregrinum. Quanquam hoc ferri poterat, cùm vestis appellatio latissimè pateat, etiam ad stragula pertinens, & peregrina rectè dicantur Aulæa, vt quæ Romam ex Attali Regis hereditate perlata sint, Seruio & Donato teste: nisi adderet Nonius: *Et est tanquam paludamentum barbarici habitus militaris.* Apage hoc paludamentum barb. hab. mil. Ibidem etiam Varronis verba sic lege: *Quot ex hereditate Attalicâ aulæa*, &c. vbi vulg. *Quod.* Significat enim Varro Populum Rom. huiusmodi rerum consecutum ab Attalo rege, à quo heres scriptus fuerat.

Deuolutis tonitrubus Dij sunt locuti] θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, notum prouerbium inde natum, de inopinato atque improuiso auxilio ad explicādas res difficilimas oblato. Vide Erasmi Adag.

More translatitio] Id est, solemni, vulgari; nempe tunc, cùm dignus vindice nodus incidisset. non enim aliter vult Horatius, Deum aliquem actioni scenicæ interesse. Iurisconsulti translatitiè aliquid fieri dicunt, quod non fit seriò, sed

persuncto-

perfunctoriè & dicis causa potiùs, vt aliàs loquuntur. Vt *Translatitiè defungi munere accusandi*, id est, præuaricari, l. 1. §. præuaricatorem. D. Ad S. C. Turpil. *non translatitiè exequi querelas*, l. 1. D. de iur. patron. *Translatitiè omittere*, l. 55. si patroni §. quid ergo. D. Ad SC. Trebell. id est, negligenter: non vt quidam exponit, interim. Similiter Petronius, *non tralatitiam humanitatem, non tralatitium bellum*, dixit.

Iactat basia] Id est, deosculatur hominū dextras: de quo more supra. vel etiam de osculis genarum intellige, quæ non minùs frequentia apud Romanos fuisse, ex Martiali discimus.

P. 76. *Equester ordo*. Et mox: *plaudit inludens eques*.] Erat in theatro certus Equestri ordini attributus locus, ex quo spectarent: Equestria appellat Seneca lib. 2. De benef. c. 12. *Equestria*, inquit, *omnium equitum Romanorum sunt. In illis tamen locus meus fit proprius, quem occupaui*. Et mox: *Habeo in Equestribus locum, non vt vendam, non vt locem, non vt habitem: In hoc tantùm vt spectem. Præterea non mentiar si dicam, me habere in equestri locum: sed cùm in theatrum veni, si plena sunt Equestria, & iure habeo locum illic, quia sedere est mihi liberum; & non habeo, quia ab his, cum quibus ius mihi loci commune est, occupatus est*, &c. Equestria, scilicet sedilia. Solebat autem locus in theatro tribui secundùm cuiusque censum. Qua de re alibi. Vide & Lipsium ad xv. Annal. Taciti, de distinctis in Theatro spectatorum locis ac sedibus pro cuiusque dignitate.

Capite est protrusus] Præceps datus.

TEMPVS] Hæc quoque non est fabula, sed ὑπογραφὴ vel ἀστυπογραφία. Confer Occasionis typum apud Ausonium Epigram. xi. Operæ fortasse pretium faciam, si hic adscripsero Epigramma doctissimi auunculi mei Matthiæ Bergij p. m. quod ex Anthologia Græca lib. 4. Latinum fecit in statuam Occasionis. Id est huiusmodi per Dialogismum.

Quæ Patria artifici? Sicyon. quid nominis autem?
Lysippus. Quæ tu? Occasio cuncta domans.
Cur rotulæ insistis? circumferor vsque. quid alas
Affixti pedibus? me leuis aura rotat.
Cur dextræ est inserta nouacula? scilicet anceps
Cessantes acies hæc mea ferre nequit.

Quid

Quid crinita autem frons monstrat? vt obuia prendar.
Cur caluum parte est posteriore caput?
Quòd semel oblatam qui me permittit abire,
Copia ei in reliquum non datur vlla mei.
Ingeniosa manus talem tibi me dedit, hospes,
Vt fias istis cautus ab indiciis.

Expectas forsan, lector, vt Græcum quoque subiiciam, quo magis in promtu sit collatio. En habe & ipsum:

Εἰς ἄγαλμα τοῦ Καιροῦ,
Ποσειδίππου.

Τίς; πόθεν ὁ πλάστης; Σικυώνιος. οὔνομα δὴ τίς;
Λύσιππος. σὺ δὲ, τίς; Καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ.
Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω. τί δὲ ταρσοὺς
ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδράσι δεῖγμα,
ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
νὴ Δία· τἀξόπιθεν πρὸς τί φαλακρὰ πέλει;
Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντα με ποσσὶν,
οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
Τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν ὑμέων
ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκαλίην.

Τὰ πρόθυρα Posidippus hîc vocat pergulam. Lucilius· *Pergula pictorum: veri nihil; omnia ficta.* Vlpianus l. 5. §. pen. D. de his qui effud. vel deiece. *Cùm pictor in pergula clypeum vel tabulam expositam habuisset, eaq́; excidisset,* &c. Plinius lib. 35. cap. 10. *Perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus,* &c. Loquitur de Apelle. Sed tempestiuum est ad TEMPVS Phædri nostri redire: imò & modum hisce Notis imponere.

Cur sit] Quid hoc monstri? aut quomodo cohæret oratio? Non dubito quin scriptum hîc fuerit: *vir sit.* ἔστω ἀνήρ. hoc est, pingatur. Formula loquendi à mathematicis sumta, qui lineam, vel circulum aliquem pingere iubentes dicere solent: *Sit*, vel, *esto*, &c.

Elapsum semel non ipse possit Iupiter reprehendere] Eleganter in hanc sententiam Greg. Nazianzenus carmine ad Nicob. patrem, v. 101. καιροῦ λαβώμεθα, ὃν προσιόντα ἔστιν ἑλεῖν, ζητεῖν δὲ παραδραμόντα, μάταιον. Sic Michaël Hospitalius in Carminibus eruditissimis:

Prætermissa semel referet se Occasio nunquam.

De verbo Reprehendere iam in hac luce litterarum pene superuacaneum est admonere, id hîc non esse ἐπιτιμᾶσθαι vel μέμφεσθαι vel ἐγκαλεῖσθαι, vt aliàs ferè; sed more Plauti & Terentij poni pro ἀναλαβεῖν. quod est recipere. Exempla ex Comicis obseruauit Ianus Gulielmius Quæst. Plaut.

Significat] Nempe vir ita depictus, vel fictus. alioquin hoc verbum non habet nominatiuum à quo regatur: quod vel vnicum satis confirmat nostram superiorem emendationem.

Plecteret] Lego, *flecteret.*

Ante hoc noui, quàm tu natus es] Prouerbium conueniens seni reprehendenti hominem adolescentem & sciolum, à quo lacessitur.

Qui doctiorem emendat] Sus scilicet Mineruam docens, vt in alio prouerbio est.

Sibi dici putet] Terentianum hoc est: *tibi dictum puta.*

P. 77. *Annis ingrauantibus*] Pro, ingrauescentibus. ac fortè an scripsit Phædrus *ingrauentibus*. an retinendum potiùs *ingrauantibus*, quasi positum pro adgrauantibus, ipsum scilicet canem?

Cui senex contrà latrans] Iungo, *Senex latrans*, id est, vetulus Canis. Sic latrantem etiam substantiuè Guntherus meus posuit lib. 5. Ligurini:

Portauit scapulis passus plus mille latrantem.

Hoc cur scripserim] Nempe quia senex sum, & annorum deprædationem ac damna sentio. Sic & suprà aliquotiens de senectute sua Phædrus meminit: vti & de aduersariorum suorum iniquitate. De vtraque & hîc nonnulla subiecisse videtur, quæ periisse indicant asterisci. Sed ad huiusmodi querelas senectutis omnes rectè vsurpabitur ille Publij Syri mimus:

Frustra, cùm ad senectam ventum est, repetas adolescentiam.

ATQVE hæc ad hunc modum in Phædri fabellas commentabar paucis horis. Nec me huius laboris pœnitet: neque is à Iuris professore alienus cuiquam videri debet. Iam enim inter omnes sanos constitit, Iurisprudentiæ studiosum oportere etiam Antiquitatum & Latinæ linguæ minimè ignarum esse: quarum rerum ad vtramque paruus

hic

hic libellus non paruum adferre momentum potest. Deinde si IC^to maiorum gentium, qui hunc primus in lucem protulit, gloriosa fuit eritque semper editio: quis nobis, minorum gentium qui sumus, commentationem hanc & iteratam editionem vitio verterit?

ADDENDA
Notis C. Rittershusij.

Ad Phædri Fab. 18. *Nemo libenter recolit, qui læsit, locum*] Sententia hæc expressa est ex Amphidis Comici versibus:

ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις,
ἥκιστα τούτοις πλησιάζων ἥδεται.

Ad Fab. 36. *alticinctus*] Gloss. vet. ἀνεσταλμένος, *alticinctus*.

GASPERIS SCHOPPI
FRANCI
Spicilegium
IN
PHÆDRI FABVLAS.

Ad Nobiliss. & Splendidiss. Sigismundum Burghusium in Stoltz & Schiltberg &c. Equitem Silesium.

Nobiliß. & Clariß. Iuueni

D. SIGISMVNDO

A BVRGHAVSEN,

in Stoltz & Schiltberg &c. Equiti Silesio, ſuo primæ notæ amico,

S. D.

GASPER SCHOPPIVS PAPEBERGVS.

VIDE *amabo te, mellitißime Burghusi, quàm non ſim homo malæ fidei. Iam ipſos duos annos eſt, quòd cum eruditißimo & ſuauißimo Sculteto noſtro mecum Ingelſtadij fuiſti, vosq́; eam mecum amicitiam contraxiſtis, quam & alij quinctæ claſſis, adeoq́; Plautinæ proſapiæ homines mihi inuiderent, & nullum vmquam locorum interuallum, nulla temporis iniuria, non fulminantis magna Iouis manus, nihil denique quicquam, quantumuis validum, abolere poſſet. Nam tametſi mihi vetus illud, nonnihil in alium longè veriorem illum & honeſtiorem ſenſum detortum, à vobis inculcari ſolet:* AMICI, DVM VIVIMVS, VIVAMVS*: qui tamen meus animus eſt, fieri non poſſe arbitror, vt vel violenta mors, vltima illa rerum linea, & omnium gignentium domitrix, æternum illum amorem noſtrum, qui in parte noſtri meliore ſedem domiciliumq́; fixit, quoquo modo vllo in tempore delibare queat. quod vt audacter augurer, faciunt, quas in vtroq́; veſtrûm reperi, præſtantes illæ variaq́; Deorum immortalium dotes, plurimis iam per Germaniam & Galliam viris præſtantißimis cognitiſ-*

cognitißimæ, eoq́; commemoratione mea hautquaquam indigentes. De me ipso; si quid me pudor meus prædicare permittit, nec multum, opinor, nec nihil amore dignum aduertistis: quod ipsum tamen, quantumcumq; illud est, sicut solet, humanitas vestra magnum esse fecit. Certè vt de studiis meis omittam, quibus & vos operari consueuistis, adeoq́; illa amari vobis vero simillimum videtur: non potui non probare vobis BONAM ET PRISCAM FIDEM, *quam me æternùm conseruare oportet, si maiorum meorum virtuti, si aliorum de me existimationi, si mihi denique ipsi, homini in omnibus nisi quæ non decent, pertinaci, satisfacere & respondere velim. Candor animi, Candor inquam, Libertas & Fides, hæc illa sunto, quæ Schoppium vestrum commendent, quæ sola à maioribus (amisso quamuis per fati iniquitatem & genere & nomine inutili) incolumia acceperit, quæ nemo ipsi omnimodis queat eripere. Hæc illa sunt, scilicet, quibus nullius, nisi vestri similium, hoc est, omnium bonorum, amorem & fauentiam promereri possum. quocumque tamdem locorum deuenio, plurimos inimicos, eosq́; capitales, reperio. Si quidem eò peruenimus, vt à plurimis virtutem capitali odio dignam & idoneam haberi videremus. Sed profectò oportet me nihili facere hominis nequam gratiam; & verò etiam facilè possum, dum quidem Lipsios, Velseros, Ortelios, Camerarios, Monauios, Rittershusios, Hannieles, Gentiles, Gruterios, Sculteros, Pflugios, Burghusios, Bredouios, eorumq́; similes nonnullos alios amicos respicio. Et tibi quoque etiam, Sigismunde noster, nebulones tales nonnumquam molestos esse credo; quamuis, quæ tua vnica & propria laus est, suauitate morum tuorum incredibili, & in nemine altero mihi per omnem vitam visâ, etiam*

malorum animos ita tibi concilies, vt si te non ament (cùm nec virtutem poßint) certè libenter ferant. Sed neque tu non gratiam illorum insuper habere soles, potiusq; cum eorum dißimilibus amicitiam colis; & quando coram quidem non potest, saltim per literas. quas quòd & mecum communicandas existimasti, scito, mi Burghusi, nihil mihi officio hoc tuo gratius esse posse. nec tu, opinor (vt illuc redeat, vnde primùm cœpit oratio) fidem meam accusabis. nam ecce & longas ac verbosas tibi literas nunc mitto, & huic Spicilegio meo in poëtam veterem, sed Rittershusii nostri curâ renouatum nuper & illustratum, operam à te impetrare satago: vbi tamen illud priùs excusauero, quòd tàm exigua & profectò optimo & doctißimo Rittershusio nostro neglecta, & consulto consilio prætermissa huc congesserim, vt illis negotium tibi facesserem. Veniam tamen, opinor, non grauaberis, si intellexeris, me in studiosorum gratiam loca aliorum scriptorum similia, quòd Phædro valde illustrando facerent, annotasse: quædam, quæ Rittershusius, quòd, sicut in hoc scribendi genere vsuuenire solet, ea nimis facilia & ad intelligendum decliuia putaret, omisit, magis explanasse: loca denique nonnulla difficilia, si fortè aliquam illis medicinam facere possem, tentasse: nec in illis omnibus, nisi paucarum horarum, iacturam tamen vllam fecisse. Veniam itaque eorum omnium tenuitati, velut spero, iam dedisti, & Epistulam à me claudi tamdem desideras. Mane etiam, non vno modo meis molestus sum. sic soleo beare amicos. Illud mihi etiam exorandus es, vt quando ego fide mea esse iußi, vt totus hic scriptor tuo se nobilißimo nomine proscriptum studiosorum cauea exhiberet, tu facias, ne sponsio mea mihi apud amicum nostrum fraudi sit, sed gra-

tam

tam habeas & gratißimam hanc ipsius in te studij declarationem: quod fieri à te igitur demum existimabo, si ingenium illud tuum elegantißimum ad commentatiunculas hasce nostras intendere, loca à nobis timidè & titubanti animo correcta, ipse quoque tentare, vepresq; falce tua critica runcare, tuum deniq; de omnibus & singulis iudicium ad nos perscribere non grauatus fueris. Quod ne graueris, multùm te pro amicitia nostra rogatum atque obsecratum volo. Bene vale, decus nostrum. Altdorphio a. d. IV. *Kal. Mai. Anno* ∞. IↃ. XCVII.

GASPERIS SCHOPPI FRANCI

Spicilegium Notarum

AD

Phædrum.

PAG. 15. *Duplex libelli mos est*] Morem libri vocat, vt & ingenium rebus inanimis attribuunt veteres.

Face improba] Quid si *voce improba?* Lupus latro incitatus improba voce caussam iurgij quæsiuit, nisi pro *Latro*, legendum sit, *lucro*, vt prædæ spem intellegat.

Intulit] Inferre caussam dixit, sicut elegans scriptor Cornel Nepos, Caussam interserere, pro, aliquid caussari.

P. 16. *Miscuit*] *Miscuit ciuitatem* dixit, pro, turbauit, sicut contra dicunt veteres, turbare, pro, miscere.

Petierunt à Ioue] Puto scribendum, *petierunt Iouem*. Sed video scriptorem hunc leges metricas minùs calluisse, vel certè insuper habuisse. Sic statim *diutius* trisyllabon fecit.

P. 17. *Se pauonum*] Metrum volt vt legamus, *pauûm*. Pauus & pauo, notum.

P. 19. *Sensum communem*] Homines bardi & insulsi communi sensu carere dicuntur. Horat. lib. 1. Sat. 3.

Simplicior si quis, qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi Mæcenas, vt fortè legentem,
Aut tacitum impellat, quouis sermone molestus:
Communi sensu planè caret, inquimus. ——

Quinctilian. lib. 1. cap. 1. *Sensum ipsum, qui communis dicitur, vbi discet, cùm se à congressu, qui non hominibus solùm, sed multis quoque animalibus naturalis est, segregarit?*

P. 20. *Pernicitas nota*] *Sentit enim vim quisque suam quam possit abuti*, vt Lucretius ait. Simile illi quod est apud Virg. conscia virtus, 5. Æneid.

Tum pudor incendit vires, & conscia virtus.

Et 10. *Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.*

Mortis

Mortis in solatio] Mendum hic latere puto, quod quale sit quæramus.

Caussam cùm perorassent] Propert. lib. 4. Eleg. vlt.

Nec opinum rapit] Lucret.

Et nec opinantes à tergo diripiebat. Sic infrà:
Concidit casu graui nec opinans.

P. 21. *Venantum*] Pro *venatorum*. Lucret. lib. 4.
Venantumq́; canes in molli sæpe quiete
Iactant crura tamen subito.

P. 22. *Prior ales*] Prior, idem quod melior, Græcorum imitatione. quod & Horatius suo scilicet more & modo Græcissans imitatus est. atque hoc iam proletarium est.

Corui deceptus stupor] Id est, Coruus stupidus. Sic, Error Herculis, id est, Hercules errans, vt dixi in Verisimilibus. Sic Virgilius in prolusionibus Noctuinum vocat stuporem, id est, hominem stupidum. Et Catullus similiter:

Talis iste meus stupor, nil videt, nihil audit.

de quo infrà sub finem.

P. 23. *Eius experiendi*] Experimur eos qui suam nobis operam locant, mercenarios, inquam, cùm eorum opera vtimur. Plaut. Mercat.

CO. *Vin' me experiri?* LY. *volo* CO. *mercedem cedo*. nec satis decorè sibi consuluit Lambinus dum ibi *Experiri* interpretatur, iure & iudicio tecum contendere. quin cocus conductus ait se paratum esse operam suam præstare: quam si vti & experiri nolit, debere eum tamen mercedem dare.

P. 24. *Peractis mensibus*] Sic Plaut. Amphit.
Menses tibi exactos vides.

Vir est hortatus] Vir, pro, marito, absolutum pro relato. quo ferè nihil quicquam apud Plautum frequentius. Sic Amphitruo: *Tuus ego vir sum?* Similiter apud eumdem, Mulier alicuius, pro, vxore, sæpius. Sic Penelope ad procos de Vlixe suo in libero carmine:

Qui quoniam periit, modò vos intendite: qualem
Esse virum sciero, vir sit vt ille meus.

P. 25. *Rogat alterã*] Alter, pro, alio quouis, sicut viciſſim, *Alius*, pro, altero, Plaut. Capteiu. *Captus fuit in pugna Hegionis filius, Alium quadrimum fugiens seruus vendidit.* Apuleius 4. de Asin. *Namque ille alius asinus diuinato & ante capto meo cogitatu &c.* Et lib. 5. de colloquio duarum Sororum: *Suscipit*

pit alia, id est, altera respondet. Eod. libro : *Peruenit ad ciuitatem aliam, in qua pari modo soror morabatur alia.*

Deuocat] Rarum hoc verbum, quo & Cornel Nepos vtitur : *vt quos inuocatos in foro viderat omnes deuocaret.*

Iocus est] Eleganter hoc dictum. nam, Iocus, vt &, Ludus, pro re abiecta & leui quæ meritò ludibrio haberi possit. Cic. pro Flacco, de Græcorum leuitate: *Num illos idem putatis? quibus iusiurandum iocus est, testimonium ludus &c.*

Catull. *Iocum me putat esse mœcha turpis.*

Propert. *Fallaci domina me pudet esse iocum.*

P. 26. *Defectus annis*] Nam cur defectũ annis dicit senem? an quia vita ipsum deficit? gerræ. Tu bono meo periculo scribe: *Defessus.* Sic apud Apuleium lib. 4. de Asino, scribo: *Iamq; confecta bona parte itineris & via spatio defessus & sarcinæ pondere depressus, ictibusq; fustium fatigatus &c.* Sed ibi in omnibus cusis & scriptis libris est, *Defectus* : quod nequam & nihili esse aio.

P. 28. *Satiatur ipsa & torquet conuiuam fame*] Scribo : *at torquet* Elegantius sane hoc. Similiter Accius Telepho:

Nam si à me regnum foruna atque opes
Eripere quiuit, & virtutem nequiuit.

Lego: *at virtutem n.* Quem locum in animo habuit Virgil. 2. Æneid.

——— nec si miserum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemq; improba finget.

P. 29. *Luctum importaret*] Lucretius:

Nec quamuis aliam cladem importare perieli.

Ardentem facem] Puto otiosum vel παρέλκον esse epitheton. magis mirè Propert. de Amore:

Nam tibi non tepidas subdidit ille faces.

P. 30. *Ratio est separata, ait, ac diuersum genus*] Putabam primùm metri caussa legi posse:

Est ratio separ, ait, ac diu. g. Sed nunc in visa coniectura tua acquiesco.

P. 32. *Ætatis mediæ*] Sic Plautus Aulul.

Post mediam ætatem qui mediam ducit vxorem domum.

Plura dixi Suspect. lect. lib. 5. cap. 19.

Pingi] Malim, *fingi.* quod & Plautus de ornatu vsurpat. Sed profectò nihil interest. Pœnulo loquitur meretrix:

Ex industria ambæ numquam concessauimus,

Lauari,

Lauari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari
Poliri, expoliri, pingi, fingi. ———

Sticho Sc. antepenult. Morem vobis geram. *Benè cùm lauta est, tersa, ornata, ficta, infecta est tamen.*

P. 33. *Quod vides cotidie*] Malo, opinor, exemplo alteram syllabam in *cotidie* produxit & hîc & inferiùs.

Terrore effuso] Pertractatum hoc est solere multas à quadrigis ad adfectus animi tralationes fingi. Dicuntur effusæ quadrigæ cùm feruntur prono impete quadrupedes, nec audit currus habenas. Sic, Effusa lætitia, nisi quid fallor, apud Apuleium: Effusus risus, & similia. quare emendationem tuam, Rittershusi, vereor vt cuiquam satis probare possim.

Cubile setosæ suis] Sic Lucret. *instrata cubilia fronde.* Et idem hic infrà de Panthera.

Suspenso pede] Locis à te, Rittershusi, laudatis addo Lucretianum de canibus, earumque catulis:

At catulos blandè cum lingua lambere tentant,
Aut vbi eos lactant, pedibus, morsuque petentes,
Suspensis teneros imitantur dentibus haustis.

P. 34. *Ardelionum quædam natio*] Id est, genus: velut ille in Catalectis Virgilij:

Scholasticorum natio madens pingui.

Plura in hanc rem, eaque oppidò quàm bona, videbis apud Robertum Titium libro locorum controuers. 8. cap. 18. qui laudat illud Ciceron. de nat. deor. *Ita salem istum, quo caret vestra natio, in irridendis nobis nolitote consumere.* In quibus verbis tamē pruriebam olim nostrum officium facere, id est, quod isti nostri critici solent, quæ non intellegebam corrigere, & *ratio* rescribillare, quòd scirem rationem à Cicerone & eius familiari Lucretio dici sectam, philosophandi genus; vt lib. 1. Offic. *Cynicorum verò ratio tota est eicienda: est enim inimica verecundiæ,* &c.

Posita Luculli manu] Symmachi locum, qui tibi in mentem fuerat, eccum tibi ex lib. 6. epist. 71. *Siquidem sermo detulit, quædam vos Lucullanis operibus æquanda fecisse.* vbi tamen quasi prætereundo moneo cum M S. legendum: *sermo distulit.* hæc enim vis est præpositionis in verbo differre, vt significet dissipare & in varias partes dispergere. quomodo etiam *Rumorem didi,* Virgilius dixit. Ceterùm vt ad Luculli magnificentiam reuortar, idem ille vrbi præfectus de ea innuerat

nuerat lib. 2. epist. 59. Sed locus hodie pessimè adfectus est, & Geneuensis correctoris, si non ibi delirauit, at certè more suo dormiuit acumen. Sic enim alios secutus edidit: *Iacui apud Neapolim soli quod mihi ex tuo adiacet, vt ædes nouas molirer, optaueram & tu mecum operam Luculuma partires.* Ad quæ verba adscribsisti tu olim in Prodromo tuo, Rittershusi: Quid hoc est verbi, vel monstri potiùs? Fortè leg. *luculentam*: vel, *opera Lucullana*, vt infrà lib. 6. epist. 71. & lib. 7. epist. 36. *Successisti in famam Luculli.* Notum huius viri ædificandi studium. Hæc tu olim; quæ vt mihi probentur scire cupis? Bonus tu quidem vates esse poteras. nam & ita ferè in veteribus libris scriptum inueni. In Giphaniano quidem, *operam Lucullana*: in illo verò qui Fuldæ blattis opimum præbet pabulum: *opera Luculuna.* quæ sanè sagacem coniecturam tuam sartam tectam præstant. Sed sic nihilominus tamen multis etiam mendis scatet locus ille, quas cum aliis millibus ex isto agro suo tempore exonerabo.

Opera nequicquam perit] Scribendum vna voce, *nequiquam.* quam veram esse orthographiam, in Lucretiano Indice indicauit Giphanius. nec ego aliter in libris antiquissimis reperi.

P.35. *Vis & nequitia quicquid oppugnant ruit*] Video Phædrum non indiligenter in Lucretio fuisse: quare suspicari de hoc loco potui, legendum & interpungendum:

Vis & nequitia, quicquid oppugnat, ruit.

Potentia & astutia ruit vnumquodque quod oppugnat. Nam & ita Lucretius (vt admonuit Giphanius noster) ruere, actiuè dixit, pro, adfligere, proruere. vt de vento: *Ingentesq; ruit naues & nubila differt.* Et rursum de amnis violentia:

Dat sonitu magno stragem, voluitq; sub vndis
Grandia saxa, ruit qua quidquid fluctibus obstat.

qui locus illi apud Phædrum perquam similis. Et Virgil. 1. Georg.

——— *cumulosq; ruit malè pinguis arena.*

P.36. *Ferro mulum tonsitant*] Non absimilis est Plauti locus Epidico act. 2. sc. vltima.

Ne vlmos parasitos faciat, quæ vsque attondeant.

vbi virgæ dicuntur humeros vapulantis attondere. nisi fortè huic Phædri loco macula inest grauior, quam nondum odoratus sum.

Frondem

Frondem bubulcus adfert] Frundibus enim boues saginabantur. Horat. ep. 14. lib. 1.

——— & vrges
Iampridem non tacta ligonibus arua, bouemq;
Deuinctum curas & strictis frundibus exples.

Sic paullo pòst herus obiurgans rusticos quòd parum curent boues: *Cur frondis parum est?*

P. 37. *Sin autem ab illis doctus occurrit labor*] Sensus totius loci hic est, si sensum habeo: Si tibi Lector meæ fabulæ istæ complacuerint, & tu te ex iis correxeris; sat ero felix. Sin autem doctus ille labor meus hominibus scæuis & inuidis occurrerit, id est, aduersus fuerit, æquo animo sortis meæ iniquitatem patiar. Et ita tu quoque, nisi fallor, hæc accepisti, nec temerè mones particulam, *ab*, sententiæ aduersari. quam ego tamen (si quid nimis incerti ausim proponere) non ideo inducendam puto: malimque leui mutatione in *ac* mutare, & sic porrò interpungere:

Sin autem; ac illis doctus occurrit labor.

Nosti satis, de quo ego alibi pluribus, elegantem & concisam illam loquendi rationem. q. d. Sin autem non admiseris hæc in aures animumque tuum, & si illis, qui irato genio nati sunt, hic labor meus occurrerit; patiar & feram. Ceterùm vt mecum scias, nec nimis, quod illi solent, æstuaui in coniectura hac, nec mihi valde de ea placeo, ne quis me censeat. Certè, occurrere, pro, aduersari, & Propertius meus dixit.

Sinistra quos in lucem natura extulit] Qui aliter dis iratis nati & scæui dicuntur. Agell lib. 12. cap. 13. *Scæuus profectò & cæcus animi forem, Si cùm haberem tui copiam, issem magis ad alium quàm ad te.* Et Symmach. lib. 3. epist. 68. *Quæ à quibusdam scæuus designata dicuntur.*

P. 39. *Ego illius porrò semita feci viam*] Laborat versus. nam *semita* primam producit. quare malim: *Ego porro illius sem.* Feci viam, puto idem esse, quasi dixisset, iui, profectus sum eam viam, quam ille iuit. nec distinguo heic inter viam & semitam. Cicero dicit, *Conficere viam.* Huc facit Lucretianus locus:

Auia Pieridum peragro loca, nullius antè
Trita solo. ———

Si testis alius, alius index denique] Non vereor rescribere: *Index.*

Index. qui Latinis scriptoribus idem valet quod Delator. Cicero pro Muræna: *Vallatum indicibus atque sicariis*. Et Paradoxo vltimo: *Videt domi tua pariter accusatorum & indicum consociatos greges*. Et tuus Ausonius:

Indice me nemo, sed neque teste, perit.

Alius Seiano] Pro alius, quàm Seianus; vel, à Seiano diuersus. Horat.

Néve putes alium sapiente bonoq; beatum.

Idem: *Ne quis sese alius Lysippo duceret ære.*

Sallust. *Aliud bello mallet*. Plaut. *Qui quærit alia his, malum videtur quærere*. Ita ibi rectè decus nostrum Ianus Gulielmius.

Rem me professum dicet forsan aliquis grauem] Metrum suadet vt legamus: *fors aliq. gr.*

Anacharsi Scythæ] Puto: *Anacharsis Scytha*. Si Æsopus Phryx, Anacharsis Scytha potuit ingenio suo condere æternam famam.

P.45. *Talis vir*] Sic apud Plautum Capteiu. loquitur seruus ad herum:

Quid me oportet facere, vbi tu talis vir falsum autumas?

Sic Sallustius de Mario: *Tamen ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat.*

P.46. *Si mendacium subtiliter limasset à radicibus*] Post hæc verba rectè comma collocatur, contra quàm tu Rittershusi, existimas. Legendum autem vlterius, *rimasset*. antique, pro, rimatus fuisset. hoc est, scrutatus, quæsiuisset, teste Nonio. Confirmat hoc Plauti Locus Trinum. act. 1. sc. 2.

Quòd si exquiratur vsque ab stirpe auctoritas,
Vnde quicquid auditum, nisi id appareat,
Famigeratori res sit cum damno & malo.

P.48 *Nosset cùm pulcherrimè*] Sic Plautus sæpius; & idem hic infrà, *Pulchrè tamen intellego*. Et extremo hoc opere: *Hoc cur Filite scribserim, pulchrè vides.*

P. 52. *Rogati à quodam, delicio suo*] Hic locus à nemine, quàm Apuleio, commodiùs explicari potest, extremo libro octauo. Inter alia & hæc sunt: *Erat quidam iuuenis satis corpulentus, choraula doctissimus, collatitia stipe de mensa paratus, qui foris quidem circumgestātibus deam cornu canens adambulabat: domi verò promiscuis operis partiarios agebat concubitus.*

P. 53.

P. 53. *Aliquot venit sæculis*] Versus suadet: *post sæclis*, aliquot sæclis post, vt, *Longo pòst tempore venit.* Sin legamus: *Aliquot aduenit sæclis*, erit similiter dictum, vt illud Propertij: *Venturum paucis me tibi Luciferis*, paucis pòst Luciferis, seu diebus. Et Catull. *Cœnabis bene mi Fabulle apud me*
Paucis, si tibi DI *fauent, diebus.*

Sic valeas, vt farina es] Id est, planè non valeas, sicut nec farina es, quam esse te simulas.

P. 57. *Omne adsuëui ferrum qua corrodere*] Similis planè locus Horatij, *—fragili quærens illidere dentem Offendet solido.*

P. 58. *Homo simul ac venit*].Laborat versus, nisi illud, *ac*, deleas. *Simul* & hic, vt sæpius, pro, simulac.

P. 59. *Spiritu culpam lues Olim*]. Potuit studiosis indicari, *olim* eleganter de futuro dictum, vt Horat. *Non si male nunc, & olim sic erit.* q. d. etsiamsi nunc malè sit, tamen non semper in futurum malè erit. Hic quoque infrà, *olim senio debilem Frustra adiuuare bonitas nitetur tua.*

Fatorum dicto tempore] Propriè, *Dicto*.Sic infrà: *Rediit hora dicta.* id est, constituta. Terent. Andr. *Hic nuptiis dictus est dies.* Sic Cæsar 1. de bell. Gall. *Omnibus rebus ad profectionem comparatis diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conueniant.*

P. 61. *Subitò mutatur dies*] Tu, Rittershusi, anacoluthi veritus mauis, *mutato die.* non malè, nisi quòd minimè à ductu litterarum deuians malo: *mutatus dies.* subintell. fuit, vt solet Phædrus tuus. r. & s. charactere Langobardico nihil distortunt. Diuinabam quoque: *subitò mutat vt dies.* vt vel postquam dies mutauit ad serenam faciem. Mutauit, pro, mutatus est, cuius plura exempla in Verisimil.

P. 62. *Odore canibus anum sed multo replent*] Elegans vsus particulæ *sed*. Plautus sæpe ea vtitur, & Rudente act. 5. sc. 5.
—affer huc Duas clauas. LA. *clauas?* D Æ. *sed probas: propera citò.*
Sic enim isthic in vtroq. magni amici nostri Camerarij Codice perscriptũ. Volgò omittitur ea particula pessimo exẽplo.

P. 64. *Quódve tantum est premium*] Latiniùs meo animo dixisset, *quódve tanti est premium.*

Dis est iratis natus] Nunc mihi in mentem venit Loci Plautini in Bacchidibus:
— inamabilis, illepidus viuo, Maleuolente ingenio natus.
Vbi rectè atq. ordine mihi Bosius videtur correxisse: *Maleu-*

M *genio*

genio nat. quomodo & volgati libri præferunt. Lambino si sanum fuisset sinciput, nec Genius iratus, minimè cōtra hanc lectionem scribsisset, quæ scribit: *Maleuolente Genio natus*, minùs dici Latinè, cùm verius sit, irato vel iniquo Genio. Eugepæ? Thalem talento non emam Milesium. nam ad sapientiam huius ille nimius nugator fuit. quid enim? Certè si nihil aliud vel illud tritum, cum dis beneuolentibus, aliud Lambino vt scriberet, suadere debuit.

Qui dum quadrantes aggeras] Non dubitas periurare, dum patrimonium conduplices modò. Plaut. Epid. act. 3. sc. 2.

Dum tibi ego placeam atque obsequar, meū tergum flocci facio.

Ne quid de tuo faciat lucrum] Legi quoque potuit, si vlla interpolatione vsus est: *ne qui de tuo*, id est, ne quoquo modo lucrum faciat. Sed defendendum est veterem loquendi rationem. *Si quid facinus*, & similia apud familiarem nostrum Plautum, sic *quid nomen, id nomen*, &c. quæ attigi in Suspectis lectionibus. Quibus addas licet hoc ex Trucul. act. 2. sc. 4. *Sed quod ego facinus audiui aduenienι tuū?* Ex vtroq. mſ. legendum: *quid ego facinus. De tuo*; eleganter, id est, tuo sumptu. Plaut Bacchid. act. 1. sc. 1.

Ego obsonabo. nam id flagitium sit meum, meâ te gratia
Et operam dare mihi, & ad eam operam facere sumtum de tuo.
Terent. *Olet vnguenta de meo.* Liuius: *Decerneret senatus vt stipendium miles de publico acciperet, cùm ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.*

P. 70. *In literarum plausum ire desidero*] Versus obscurus. Et, nisi me fallit, inest macula huic loco, quæ sine iudicio & ingenio magno elui neutiquam potest. Nec satis quid velit intellego, nec sensus fallor tamen. absque curiositate mea foret, qui ductus literarum religiosè obseruare soleo, non vererer rescribere: *Inliteratum plausum cur* (vel *non*) *desidero.* q. d. tu modò & tui similes viri docti meas fabulas laudetis: ab illiteratorum hominum cauea plaudi mihi nihil moror. Extricent qui possunt aliquid ingeniosius; mihi fraudi esse non debet, si quod saluti fore spero id cōsuadeo.

P. 71. *Ipsum ignorans*] Ignorare aliquem, idem est quod, nullius coloris nouisse, de facie non nouisse. Tralatione deinde eleganti, mores animumque alicuius nondum satis cognouisse. Sic Chremes Terent. *Et me ignoras Clinia.* Et statim apud hunc: *Vt possis alios ignorantes fallere.* quod expli-
catur

catur Horatij loco lib. 1. Sat. 3. ——— *Heus tu*
Quidam ait, ignoras te? an vt ignotum dare nobis Verba putas?
Iam curabo sentiat quos attentarit] Illudit mortuo imitatione credo Virgilij 12. Æneid.

En agros & quam bello Troiane petisti
Hesperiam metire iacens: hæc præmia qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic mœnia condunt.

Quantis fugias viribus] Longè festiuiorem huic loco interpretationem fore puto illis Plauti verbis Trinum. Sc. Sta illico: vbi seruus de hero suo ignauo loquitur, cum præ inopia, aliquò profugiturum latrocinatum vel in militiam:

Credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore,
Et capturum spolia ibi illum, qui meo hero aduersus venerit.

Dicit itaque viator ioco quodam se iam opere expertum, quàm soleat comes suus vires suas non in defendendo & arcendo hoste, sed verò in fugiendo exercere & contendere, eumque acrem & fortem esse fugitorem.

P. 72. *Iniuria eam qui dederis contumeliam*] Non nisi per nebulam hæc intellego. An contumelia iniuriæ dicta quasi iniuriosa contumelia, quia non omnis contumelia fit cum iniuria, nec vice versa, si veteres sequamur? an legend. *Iniuria eam*, id est, per iniuriam, hoc est, culpam siue damnum. nam certè, iniuria, veteribus Latinis magis ipsum factum significat, à quo interdum contumelia, hoc est (vt nostri rure loquuntur) iniuriandi animus abesse potest. Certè hanc esse puto sententiam, vtcumque tamdem legas; quam sententiam & commentitia nostra lectio complectitur:

Iniuriam cui dederis contumeliam.

Me propter punctiunculam necare voluisti: quomodo ergo te vlcisceris, cui feceris contumeliam & iniuriam simul? nam alapa sanè contumeliosum est. Iniurius, a, um, pro, iniuriosus, Plautinum est. Dare alicui contumeliam, studiosis nostris minùs familiare accidet. quare meo more & de huius phraseos Latinitate illos certiores faciam. Quinctus itaque Metellus apud Agell. lib. 12. cap. 9. eod. genere, Tradere alicui iniuriam dixit: *Et quanto probi iniuriam faciliùs accipiunt, quàm alteri tradunt: tanto ille vobis, quàm gratiam mihi, peiorem honorem habuit.* Hinc Cicero, Priuare aliquem iniuria, satis nouè dixit, pro eo, quod, prohibere iniuria; sicut, priuare foro, curia, vrbe. De L. Agraria contra Rullum: *Simillimè,*

mè, vt mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma eiciuntur, Glaucippus excipitur. non enim hac exceptione vnus adficitur beneficio, sed vnus priuatur iniuria. Quid illis fiat, quæris, qui inuitis libris omnibus, *Prohibetur*, succidaneum subdiderunt? vilis est restis: velent gulam sibi.

Mecum facilè redeo in gratiã] Non vt ille apud Horatium:
—— *egomet mî ignosco, Mæuius inquit.*

Huius respectu fabulæ] Miror religiosulos istos, qui, Respectus, voce vti dubitant. quam tamen Liuius frequentat lib. 35. *Romanorum maximè respectus ciuitates mouit, & virtutem nuper in bello, & in victoria iustitiam benignitatemq́ expertas.* Lib. 39. *Sin aliquis respectus est mei, vt socij atque amici regis, deprecor ne me tanta iniuria dignum iudicetis.*

P. 75. *Sinistram fregit tibiam, Duas cùm dextras maluisset perdere*] Non neglegendus elegans iocus in voce, Tibiæ. fregit tibiam, siue crus sinistrum. sed maluisset duas dextras tibias (quas sc. in Comœdiis adhibebat) frangere, quàm vnicam illam sinistram. Sic in Eunuchi inscriptione apud Terentium legitur, eam fabulã actam fuisse tibiis duabus dextris. Videndus Aldus Paulli Manutius de Quæsitis per epistulã.

Inter manus sublatus] Hac de re dixi plura aduersus patrem tuum optimum, Rittershusi, suspectar. lection. lib. 3. cap. 5.

Ad sanitatem dum venit curatio] Adducor ferè his verbis vt minimè adsentiar Palmerio & amicissimo Grutero nostro, legentibus apud Propert. meum: *Volneraq́ ad saniem nunc coïere mea.* Vbi editum hactenus, *ad sanum.*

Et lepidum genus] Vt spectatorũ genus solet esse lepidum, seque à tibicine exhilarari volunt. Plaut. Pseud. extremo actu primo: *Tibicen vos interea hic delectauerit.*

P. 76. *Homo meus*] Quando de stupore alterius sermo est, eleganter illum Nostrum dicimus. Catullus:

Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit.
Ipse quis sit, vtrum sit, an non sit, id quoque nescit.

In quo loco doctissimum Lipsium, quemque tantopere adulescentiæ meæ fauere gaudeo, frustra fuisse nollem. nam vt ibi receptâ lectione insuper habitâ corrigamus; *merus stupor*: ego sanè, qui meus stupor est, caussam adhuc nullam excogitare potui. Sic autem loquimur quasi per ironiam illum commendantes. nam etiam verè si quem laudamus, Noster esto, dicere consueuimus.

IOSE-

IOSEPHI CASTALIONIS

ANCONITANI

IN

Ænigmata

SYMPOSII POETÆ

Scholia.

Illustrißimo

D. THOMÆ AVALO,

MARCH. PISCARIÆ FILIO,

Iosephus Castalio S. P. D.

CVM *primum ad te instituendum accessi, tenerrimæ istius ætatis, valetudinis, imbecillarumque virium rationem habendam mihi putaui. Ergo de breui expeditaque docendi via, quod res postulare videbatur, cogitaui, & optimum quemque de eo consului. Quo factum est, vt nullo fere labore, aut molestia tua tantum paucis mensibus profeceris, vt teque meque pœnitere non possit. Iam vero mihi quæcumque animo tuo essent iucunda peruestiganti, Ænigmatis visus es in primis gaudere, quod acerrimi est signum ingenij, & præsagium futuræ prudentiæ, qui decimum vix agens annum obscurissima quæque iam vides. Quo in genere condimentum studiorum tuorum suauissimum reperisse me vehementer sum lætatus. Siquidem erat apud me in postremo Venantij Fortunati codice manuscripto Symposii veteris Poetæ carmen eius generis antiquum, lepidum, eruditum, venustum. Itaque illud statim venit in mentem mihi, præclare me operam positurum, si te ad festiuum sane Symposii conuiuium inuitarem, quo subamara litterarum rudimenta ea dulcedine quasi condires, ac sumeres. Hoc meum consilium vehementer adprobarunt docti homines, & vero etiam persuaserunt, vt primo quoque tempore hæc Symposii ænigmata tibi dedicata publicarem, vt aliquando Latinum Poetam castum, & facetum haberemus, qui tibi, ac per te ceteris proponeretur. Exiguum quidem munus, sed non ipsa magnitudine, sed auctoris antiquitate, & offerentis animo æstimandum. Quo si oblectari te sensero, grauiora propediem dabo, tecumque adcrescet etiam industria mea. Namque ego, qui singulari omnipotentis Dei in me beneficio ab Illustrissimo patruo tuo Cardinali tibi præceptor sum datus, in eam curam incumbam scilicet, vt te, quod quidem possim, doctum, eruditumque quam facillime reddam. Tibi autem enitendum est ne maiorum cuiquam tuorum concedas. Magnam domesticæ laudis, & gloriæ expectationem sustines. Magna sunt*

sanguinis

sanguinis tui nomina, Aragonij Reges, Auali, & Gonzage Duces fortissimi, ac sapientissimi. Quorum te virtutibus atq. exemplis excitari conuenit. D. Inicum de Aragona Cardinalem amplissimum patruum tuum, virum optimum & prudentissimum, in cuius oculis, cura, studio, & pietate crescis, intuere. Vide quanta in eo sapientia atque innocentia elucescat. Fratrem habes Vasti Marchionem ab ineunte ætate optimis artibus deditum. Is nunc in Hispania, & Lusitania auitam, &, vt ita dicam, hereditariam virtutem summa cum laude spectandam prebens, te tacitus hortatur, ac monet, suis vt vestigiis insistas. At nomen ipsum tuum eximie te cuiusdam doctrine, ac sanctitatis admonet. Etenim S. Thome Aquinatis (at qualis, quantique viri?) gentilis tui nomen vt geris, sic virtutes quoque eius omnes imitere, ac referas, necesse est. Itaque quod agis hoc age, & ad summam in omni genere laudis prestantiam contende, atque enitere. Qua in contentione ludicris his Symposii tui versibus ænigmaticis animum suauissime remitte non numquam, atque honestissime relaxa. Vale. Romæ pridie Idus Octob. M. D. LXXXI.

IOSEPHI CASTALIONIS ANCONITANI IN *Ænigmata Symposij Poëtæ* SCHOLIA.

INCIPIVNT *Ænigmata Symposii Poëtæ*] Vt in aliorum quoque auctorũ manuscriptis libris, *incipit liber primus, explicit liber secundus*, & in Vibij Sequestris V. L. *incipiunt amnes, expliciti fontes.* *Hæc quoque Symposius*] Hoc principio vsus est Vergilius lib. 2. Georg. *Te quoque magna Pales*, &c. & lib. 7. Aen. *Tu quoque litoribus nostris*, & Columella, *Hortorum quoque te cultus Siluine docebo.* *De carmine lusit inepto*] ἀπὸ τοῦ κοινοῦ ... de, vt post, *magno de nomine*, & *subito de carmine.* *Sic tu es ex te doces*] Scriptoris librarij mendum forte tolletur, si, vt excusum est, legetur, *Sic tu Sexte doces*, nulla litterarum mutatione, luxatas fere tantum litteras coniungimus: quod vitium cum minus vidisset is, qui primus Fortunatum proximis annis edidit, versum corrupit in Epitaph. Ronciorum. Est enim in Vaticano codice *Accum ente gradus penomine sanguine nexi*; sic emendans, *Accumulante gradus pranomine sanguine nexi*, quem versum nos olim ita correximus, vt postea vidimus in alio libro manuscripto, *Actu, mente, gradu, spe, nomine, sanguine nexi.* *Annua Saturni dum tempora festa redirent.*] Saturnalia. de festis Saturnalibus, Aulus Gellius lib. 18. cap. 2. multa, quæ ad hunc locum pertinent, narrat. & Macrobius lib. 1. Saturn. *Madidæ facundia linguæ*] Ebriæ. sic Tibullus, & alij. *Sed friuola multa locuta*] Festus Pomp. *Friuola sunt propriè vasa fictilia quassa, vnde dicta verba friuola, quæ minus sunt fide subnixa.* *Mediocre instar.*] Verg. *tantum instar in ipso est.* *Ponere diuersa*] A finalem contra vulgatas Grammaticor. præceptiones produci a poëtis, adnotauit etiam Gifanius in Lucretium. *Insanos inter sanum non esse necesse est.*] Horat. Satyra 3. lib. 2. *Insanos qui inter vereare insanus haberi.* *Quid non capit ebria musa?* Sic legimus cum interrogationis nota. vt Horat. *Quid non ebrietas designat?* Ceterum varias lectiones adscripsimus ex editione Petri Pithoei clariss. I.C. quam

post

post videre contigit Lutetiæ excusam. In ea hic est, *Quod non sapit ebria musa.* & supra *diuerse* pro, *diuersa.*

I. GRBPHKXM] Graphium, notis plerique tituli in V.L. quibus ænigmata soluuntur, sunt obscurati. quod si proximas sequentes consonantes pro vocalibus hoc est, B. pro A. F. pro E. K. pro I. P. pro O. X. pro V. adhibitas tenebimus, nullo negotio legentur. Suetonius C. Iul. Cæsarem iisdem fere notis vsum esse tradit, Graphium, quod & stilum dicimus, Seneca lib. 4. Quæstionum Naturalium. *Digitum suum bene acuto graphio pungebant.* *De summo planus*] Duplicem stili vsum, siquidem ex altera parte litteras exarabant; ex altera ceram, vbi erant inscalptæ litteræ, complanabant, & Aurelius Prudentius in Hymno S. Cassiani Martyris prodit his versibus:

Inde alij stimulos, & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur,
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.

Huc spectat illud Horat. *Sæpe stilum vertas,* & Cic. *Vertit stilum in tabulis suis.* Quare legendum etiam iudicauimus, *versor vtrinque manu:* etsi *vtranq.* in veteri libro sit scriptum mendose. *Reuocat*] Delet, abradit, oblitterat. Horat. *volat irreuocabile verbum.*

2. *Dulcis amica Dei*] Panos. Quid? si, *Deis* legas? id est, grata Deis, qui fistula vterentur. *Semper vicina profundis*] M. Cato, M. Varro, & Plinius auctores sunt arundinem locis depressis, atque humidis gaudere. Columella lib. 4. c. 32. Vallibus prosperius, quam cliuis, fluminumque ripis, & limitibus, ac vepretis commodius, quam mediis agris deponi confirmat. *Suaue canens musis*] Verg. *Siluestrem tenui musam meditaris auena,* & Lucretius, Fundere musam dixit, his versibus: ——— *cum Pan*

Pinea semiferi capitis velamina quassans,
Vnco sæpe labro calamos percurrit hiantis,
Fistula siluestrem ne cesset fundere musam.

Nigro perfusa colore Nuntia sum linguæ digitis signata magistris.] Calamo etiã, & atramento veteres vsos esse ad litteras in chartis pingendas Horat. indicat. *incomptis adlinet atrum Transuerso calamo signum.*

3. *Ingenitum*] Innatum, insitum, vt multis auctoribus

 probamus

probamus in Rutilium Numatianum, ad illum versum; *Ingenitum cumulant vrbis honore decus.*

4. *Pando domus clausas, iterum secludo patentes*] Emendo, *sed cludo patentes*. Sequitur enim *sed rursus seruor.*

6. *Est domus in alto, sedes est semper in alto.*] Hic versus spurius est; in Pithoei tamen editione sic legitur:

Alta domus quaero, sedes est semper in imo: in qua superior versus pro adulterino habetur.

8. *Sed non sum nigra colore*] Quia nox furua. *Nec mihi dant stellæ, nec tntia lucem lumen*] Nos sic,

Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

9. *Sed sinus excepit qui me, simul ipse recepit*] Id est, sinus siue terræ, siue aquæ, qui me excepit, ipse etiã recepit, id est, auctus est mea copia.

10. *Vnda fui quondam, q. m. c. e. f.*] Vnde illud apud Diomedem Gram. ænigma, de glacie:

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me. Cæli connexa cathenis] Horat. in epist.

Thraca ne vos, Hebrusque niuali compede vinctus. & Cæsar: *Thrax puer astricto glacie dum ludit in Hebro.* &c.

11. *Tacitus sed non sonat Hospes*] Horat. *O mutis quoque piscibus Donatura cycni, si libeat, sonum.* Vide prouerbium, *Piscem dixeris; pisce taciturnior.* Io. Pierius multa de piscium silentio, in Hieroglyphicis.

15. *Non possum nasci, si non occidero matrem*] Ibidem Pierius, quæ huc referri possent, multa diligenter congessit.

19. *Rauce sonans*] *Rauca sonans*, legendum esse credimus, vt Verg. lib. 9. *Cunctatur & amnis Rauca sonans.* Al. *Raucisonans.*

22. *Prouida sum vitæ*] Horat. *at non incauta futuri.* mox Pithoeus legit *sed duro non pigra labori.* & *prauia* non *præmia.*

23. *Improba sum fateor*] Vide Pierium. *Quid enim glila turpe veretur*] *Gula*, vt sit pro *glila*, nemo non videt. *Falso conterrita vento*] *Facto vento* pro *falso* correximus, vt est apud Teren. in Eun. *ventulum huic sic facito.*

24. *Frugibus non*] Nos fecimus, non *frugibus.*

25. *Parua m. d.*] Hor. in Serm. *Quod mihi nomen inest Romæ quoque Consul habebat.*] In fastis Capitolinis: P. DECIVS. Q. F. MVS. & P. DECIVS. Q. F. Q. N. MVS. Viden' Symposium nostrum bene doctũ, & antiquitatis peritum?

26. *Lit-*

26. *Littera sum cæli*] Martialis, *Vnam perdideris si Palamedis auem.*

27. *Viuo nouem vitas*] In opusculis Verg. Pierius in Hieroglyph. *Vtraque sum semper, nullo complexa dolore*] *Atraque* ex *vtraque* fecimus, & est sententia: quamuis sim atra, nihil tamen doleo. Ad illud respexit, quod atrati cognatorum funus prosequebãtur. Legendum etiam fort. *nullo conspersa colore*, vt apud Horat. *Furtiuis nudata coloribus.* Sed recte Pithoeus, *nullo compulsa dolore*: adhibetque lemma, CORNIX.

28. *Primo de tempore noctis*] Nox prima, Persius Sat. 5. *Et tecum primas epulis decerpere noctes. Pluma mihi non est, cum sit mihi penna volantis*] Auis non auis; de vespertilione, Platonis dictum.

29. *Incolumi dorso*] Fort. *incolumis dorsum*, vt sit hospes incolumis completus dorsum telis. Vera tamen lectio Pithoei, *Incolumi dorso telis confixus acutis. Sedes*] *Ædes* fortasse, vel, vt Parisiensis editio, *segetes*: quod verum arbitror.

30. *Est noua nostrarum cunctis captura ferarum*] Ænigma piscatorum Homero obiectum, notum ex Herodoto *Sed tu*] *Id tu*, reponendum iudicauimus.

31. De Phœnice Ouid. 15. Met. Claudianus, & Lactant. Firm. Vide & Pierium in Hieroglyphicis.

Sic solos manes ipsos mihi dico parentes] *Mares*, habet vetus exemplar: nos *cineres* legi oportere olim arbitrabamur. Sed *Manes* omnino leg. ex auctoritate Gallici exemplaris. Claudianus quoque phœnicis rogum parturientem dicit:

Parturiente rogo curis natura laborat.

32. *Et Cilicus mons sum*] Melius Pith. codex, *Cilicum*. Tibullus, *Impositos Taurus arat Cilicas.* Diomedes Grammat. de multiplici significatione huius vocabuli, *Cum dicimus*, inquit, *Taurum, & nescias vtrum de armento, an obscœna corporis parte; an montem, qui est in Cilicia: an qui est in sideribus, dicamus. Sed non sum nomine solo*] *Solo*, id est, vno, est enim ὁμώνυμον siue πολύσημον. *Vehor in cælis*] Motu cæli, & ambulo animal in terris.

33. *Victusque cruentas*] *Cruentos* restituimus. Supra *insanguis*, prisca voce editum Parisiis, pro *insanis*.

Multaq; cum rabie] Vt sit, cum multa rabie, deme encliticam particulam, *que*, & lege *Multa cum rabie*. vel sic *Multaque possum cum rabie quoque tollere vocem.* vt sit *multa* quarti ca-

ti casus. *Vocem quoque tollere*] Eripere. Verg. Ecl. 9.

Vox quoque Moerin

Iam fugit ipsa, lupi Moerin videre priores.

34. *Cum versura*] *Sum versuta*, fecimus.

35. *Respondeo lingua*] *Voce*, Pithœus legit.

36. *Virides saginas*] Id est, glandem decussam. Numen autem, Orcum designat.

37. De mula vide Pierium in Hieroglyphicis. *Alterni*] Pith. *Confusi generis.* & *matri* melius quam *matris*, legit.

38. *Iunctaque sum vento*] Idem de equabus in Lusitania Plinius, & alij.

41. *Anseris esse pedes mihi*] Folia quidem certe maluæ, sunt simillima pedibus anseris.

42. *Beta vocor Græce*] Propter secundam litteram Ἀλφα Βῆτα. Pith. habet *Tota. Pauperibus semper proponor namque tabernis*] Ex Persij Sat. 3. *Plebeia radere beta.* Martialis scribit betas esse fabrorum prandia. *Ante tamen m. c. s. t.*] Versus spurius est. Pithoei codex tamen habet, omittitque superiorem, *Pauperibus semper proponor nanque tabernis.* *Oliua*] *Oliuo* fortasse.

43. *Dum pendeo, nascor*] Forte sic, *dum pendeo cresco.* *Non sum iam iamque ventura*] Pro *ventura* legendum putauimus, *futura.* Hic recitandis exemplis, quibus cucurbitam pendere solitam confirmem, supersedere potuissem, nisi vel ex hoc intelligere quosdam voluissem, quibus nihil, quod sui palati non sit, probari potest, Symposium nostrum non adeo rudem, ac rerum imperitum esse, vt cucurbitæ culturam nesciret. Palladius in Martio de cucurbita: *Vbi adolescere cœperint, adminiculis adiuuentur: quæ seruantur ad semina, in sua vite pendeant.* Plin. lib. 19: cap. 5. *Cucurbita quoque omni modo fastigiatur vaginis maxime vitilibus, coniecta in eas. postquam defloruit crescit qua cogitur forma, plerumque & draconis intorti figura, libertate vero pensili concessa, iam visa est ix. pedum longitudinis.* & paulo infra: *Cibis quoque longiores, tenuioresque, eo gratiores, & ob id salubriores, quæ pendendo creuere.*

44. *Mordeo mordentes*] Propter acrimoniam. *Dentes quia non habet*] Lege, *dentes quia non habeo vllos.* vt a Pithœo editum post deprehendi. Mordendi verbo, de cepe loquens, Persius vsus est Sat. 4. *Tunicatum cum sale mordens Cepe.*

45. *Ose-*

45. *O felix longo si possim viuere fato*] Vide Rosam in lusibus Vergilianis, & Pierium.

46. *Spiritus est magnus*] Lilij halitus acerrimus. Pithœi lib. pro lemmate habet, VIOLA. *Nec m.g.h.n.nec culpa ruborem*] Ad eximium lilij candorem allusit.

47. *Cum mihi peccandi*] Hic versus Symposij non est: omisitque Pithoeus; qui & pro *Sed placet*, melius, *Et placet*, edendum curauit. *Habetur gratia dandi*] *Danti* legendum puto.

48. *De lacrymis*] Vide apud Ouid. Met. fabulam Myrrhæ. *Pro lacrymis*] Fortasse *per lacrymas*.

49. *Eois*] Verg. *Indum sanguineo si quis violauerit ostro Forsan ebur. Nunc ego per partes in corpora multa recessi*] Ebur sectile.

50. *Herba*] Verg. *nec graminis attigit herbam.*

51. *Ambo sumus lapides*] Molares. *Non est piger alter*] Pith. *non segnis it alter.*

52. *Maritum*] Fort. *maritam.* & sic Pithœi codex.

54. *Fiexi*] Fort. *Flexu.* at liber Pith. *ferri* legit.

57. *Clauus caligaris*] Claui caligares erant, quibus caligæ præfigebantur. Plinius lib.9. cap.14 *Duo lacus Italiæ in radicibus alpium, Larius, & Verbanus appellantur; in quibus pisces omnibus annis Vergiliarum ortu existunt, squamis conspicui, crebris atque praacutis clauorum caligarium effigie.* Idem lib. 34. cap. 18. & alibi. Spectanturque in Constantini Aug. arcu triumphali, Romæ.

60. *Mando*] Mando, mandis. *Pramia dentis*] Ramenta, siue retrimenta.

61. *Stat alto*] Addidimus, *in, stat in alto.*

62. *Pondus inhæsit*] *Inhæret* Pith. *Sed non se sponte profundit*] Nisi premar scilicet.

63. *Neque*] Legendum, *Meq;*, omnes intelligunt.

64. *Septa grauis ferro*] *Septa graui ferro* nobis probatur.

65. *Moderati*] Pith. *Moderata.*

66. *Faciem*] Similitudinem. Ouid. *Hæc facies Troiæ cum caperetur erat.* Iuuen. Sat. 10. *O qualis facies, & quali digna tabella, Cum Gætula ducem portaret bellua luscum.*

67. *Specular*] Seneca lib. 4. Naturalium Quæstionum: *Itaque quamuis cenationem velis, ac specularibus muniant, & igne multo doment hiemem.* Columella de cultu hortor. *Sed nihilominus*

hilominus specularibus integi debebunt. Iuuenalis Sat. 4. *Quæ vehitur clauso latis specularibus antro.*

68. *Nulla peregrina*] Interposuimus verbum, *est*, *nulla est peregrina.* *Nisi quod*] *Quidquid* legendum esse putauimus. Sed recte Pith. *nisi si quid.* Fefellit, vt fit, eadem syllaba, *si*, geminata librarium.

96. Lemma est in Pithoei, CLEPSYDRA, ad quam causas Oratores agebant. Et pro *Vis*, *Ius*, legit.

70. *Et labor*] Transposuimus, *labor, & labore.* ludit in *labor*, & *labore.* Antea, pro *riuis*, Pithoeus edit, *rimis*.

72. *Inest*] Fort. *mea est.* & paulo ante, *recedat*, Pithoei codex: in quo & Lemma est, FOLLIS.

73. *Crudelis*] Propter naufragia. Recte Pith. lib. *crudelior.* *Volucris tum*] Apis volucris. Pith. legit, *volucris quoque nomen habebo.*

74. *Refugi*] Pith. *profugi.* Et mox *calidis*, pro, *mediis.*

75. *Semper insit*] Verg. initio lib. 6. Aen. *quærit pars semina flammæ Abstrusa in venis silicis.*

76. Lemma in Pith. RPIB. seu *Quadriga.* *Currunt ex arte*] Ouid. lib. Amor. *Arte citæ veloque rates, remoque reguntur, Arte leuis currus.*

77. *Nos sumus ad cælum quæ scandimus alta*] Mutilus hic codex noster: integer vero Pithoeanus, addita voce, *petentes.* *Comitentur*] *Mittantur* rectius legi olim putaram: nihil immuto adductus & Pith. codicis auctoritate.

78. *Compressa*] *Comprensa* licentius scripserim hoc sensu, quas sequor manus, sequuntur me, quibus sum comprensa.

79. *Tintinnabulum*] Iuuen. Sat. 6. *Et tintinnabula credas Pulsari.* *Motus quoque longè*] Legebam *motus longe q.* Sed recte Paris. *sæpe*, pro *longe*, Positus autem & motus substantiua sunt; vel participia potius.

81. *Actum*] *Auctum* fecimus, vt ad sublatum referatur.

82. *Nomen habens Græcum*] Μῆλον, id est, malum, quo Latini vtuntur, imitati Dores, qui pro H, A, vsurpant. Verius tamen Parisiensis editio Pithoei legit, *Est mihi nomen ouis, μῆλα*, oues. vide Varronem, de re rustica. *Iuuenis pulchri*] Hippomenes. vide Ouid. 10. Met. Pith. cod *functi* habet. *Multarum cura sororum*] Hesperidum. Verg. lib. 4. Aen. *Hesperidum templi custos.* Vide ibi Seruium. Plin. lib. 37. c. 2. *Theomenes dicit iuxta Syrtim magnam, hortum Hesperidum esse;* *ex quo*

ex quo in stagnum cadat, colligi vero a virginibus Hesperidum.
Hoc volo ne breuiter mihi syllaba prima legatur] Et hic versus additus est ab aliquo Grammatico.

83. *Sapientia*] Pro sapore. Sic meus liber. at melius Pith.
De fumo facies mihi, de mare gustus inhæsit.

84. *Corpus in illo*] *Pondus*, Pith. habet.

86. Titulus huius ænigmatis desideratur in meo cod. At in Pithoeano est, STRIGILIS.

Rubida] Fortasse *Roscida*. Sed recte Pithoeus, *Rupea curua, capax*. Strigiles veterum Rom. quibus in balneis vtebantur, vidimus apud Alfonsum Ciacconium V. C.

87. *Non est nuda domus*] Vide Vitruuium de balneis. Apodytirion, locus vbi vestes deponebant in balneis.

89. *Pretium flammæ, nomenque dedere*] Vnde, aurum putum, purum, & obryzum.

91. *Quinque pedes habui*] Propter longitudinem corporis fortasse, & ludit in ambiguo verbo quinque pedũ, quod ad mensuram pertinet, & duum pedum, quos podagra debilitabat. Verum nodum soluit Pithoei lectio, *Sexque pedes:* & lemma verum videtur, ex eodem libro, EQVES PODAGRICVS. *Inopem me copia fecit*] Ouid. 3. Met. *Quod cupio mecum est, inopem me copia fecit.*

92. Lemma verum huius ænigmatis arbitror, quod Pithoeus edidit, LVSCVS *alium vendens*: sic enim veteres libri, vt Horatij, *alium* præferunt, pro *allium*. Notum est capitatum allium in rei rusticæ scriptoribus.

95. *Latentes*] Pith. *Latentis:* & mox rectius, *nobis hæc munera format.*


97. *Figuras*] Id est, imagines. *Nisi qui*] Adde *sua*, *nisi qui sua.*

98. *Post vltima saxa relinquo*] Iuuenalis Sat. 10. *Titulique cupido Hæsuri saxis cinerum custodibus.* Sed Pith. codex *fata remansi* melius. nisi si *relinquor* legas.


99. *Mordeo terras*] Sic fibula mordere dicitur apud Vergilium: & supra, pro *vnco*, *vno*, Pithœus edidit: cui etiam sequens Aenigma acceptum referimus, centesimum numero, cui titulus: LAGENA. Extrema vero vox, *diuisit*, omnino deprauata est. Quid si legas; *mater mea, vt ante reuisit?* Vnde factum inepte, *diuisit*.

FINIS.





IOANNIS MEURSI
AD
PHÆDRI
AUG. LIBERTI
Fabulas
ANIMADVERSIONES.





IOANNIS MEVRSI AD PHAEDRI AVGVSTI LIBERTI Fabulas ANIMADVERSIONES.

FAB. I.

ANTE *hos sex menses.*] Luxatus est versus, quem hoc modo restituo:

Ante hos sex menses maledixisti, ait, mihi.

Pater hercle tuus] Etiam hunc luxatum restituo:

Pater tuus, inquit, herclè maledixit mihi.

FAB. II.

Qui dissolutos mores] Video heic traiectionem à viris doctis institutam, quam non probo.

Motu sonoque] Rescripserim:

Totum sonore terruit pauidum genus.

FAB. III.

Suoque potius habitu] Lego: *Suo quin potius h.*

FAB. V.

Hi cùm cepissent] Non mendum censeo, sed tamen est vt à Phædro scriptum putem: *Hic cùm c.* vt referatur ad τὸ *saltibus*, quod proximè præcedit.
Sola improbitas abstulit] Malebam: *solus improbitas abstulit.*

FAB. VI.

Solem velle ducere] Correxeram de coniecturâ: *Sol cùm vellet d.* cùm ecce video id iam ante me fecisse ex vetere libro eruditissimum Rigaltium. Gauisus sum diuinationi meæ esse firmamentum.

FAB. VIII.

Bis peccat] Non video quo modo, Phædre, nam prius vt tibi concedam, certè posterius non possum. Impunè enim abire non posse, peccatum non est, sed potius infelicitas è peccato nata. Itaque fugit te ratio.
Tandem persuasa est iureiurando gruis] Hiatum video, & defectum duûm trium versuum. Nam circumiens pretio omnes illicere lupus voluit; cur igitur grus persuasa est iureiurando? Sine dubio, interiectum fuerit: neminem medicinam facere ausum fuisse, cùm fidem lupo non haberent; quod cùm is animaduerteret, iureiurando se obstrinxerit: verùm cùm neque sic vllus temerè reperiretur qui vellet experiri, tandem grus persuasa fecit. Itaque sic edendus hic locus:

——— *cœpit singulos*
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.
* * * * * *

Tan-

Tandem persuasa est iureiurando gruis.

Ego, vt animo meo morem gererem, supplementum tale ludibundus faciebam:

——— vt illud extraherent malum.
Cùm nemo auderet, & fidem cuncti sibi
Suspectam haberent, omnem eiurauit dolum.
Tandem persuasa. ———

Equidem sic censeo. Iudicabit æquus Lector.

FAB. IX.

Lepus semianimus mortis in solatio] Scripserim: *m. in solatium.* Sed nihilominus hæc hiulca sunt, & exciderit versus:

Hac talia conspicatus, infit, ô bone,
Qui modò securus &c.

Certè talis aliquis. Nam non hæc verba solatium mortis lepori afferebant, sed aspectus similis fortunæ, in quam passer incidebat.

FAB. XI.

hic auriculas Clamore subito tollit] Scribserim: *hic auriculans Clamorem subitò tollit.* asinus *Auriculans* erit dictus Phædro, sicuti luna *Corniculans* Ammiano Marcellino.

FAB. XIV.

Cui calceandos nemo commisit pedes.] In editione Pithœanâ & Rittershusianâ est, *commiserit.* Censeo legendum: *nemo commissit pedes.* Et est ἀρχαϊσμὸς notissimus, pro *commiserit.*

FAB. XV.

Nil præter domini mores mutant pauperes] Certa est correctio Viri Nob. & Ampl. Iacobi Bongarsii: *p. domini nomen mutant p.*

 timi-

timidus pascebat senex.] Scribendum: *tumidus p. s.* id est, impotenter dominans. Et conuenit hæc lectio morali fabulæ, quod est de principatu, & dominatione immodicâ. Simile mendum infrà quoque est Fab. LXXXIV.

FAB. XVI.

Fraudator homines cùm auocat] Præfero illud è vetere schedâ Danielis. *F. nomen cùm locat.* Sed neque τὸ *Fraudator* mihi sincerum ac sine fraude illîc esse videtur. Non enim respondet oui, quod animal planè innoxium est, & omnis fraudis ignarissimum. Itaque expendendus locus. Censebam ego: *Fraudatur nomen q. l.* Estque *Fraudatur* pro *Defraudatur*, decipitur.

FAB. XVIII.

mulier peractis mensibus] A glossâ hoc est. Rescribo: *mulier actis mensibus.* aliter versus non constat. Quidam ad oram adscripserat, *peractis.* Hinc glossa in textum irrepsit, quod sæpe factum in aliis autoribus quoque viri docti obseruârunt.

FAB. XXI.

te Natura dedecus Quod ferre certè cogor, bis videor mori.] Rectiùs transponas vocem loco suo motam, legasque: *t. N. d. Q. ferre cogor, certè bis v. m.*

FAB. XXII.

facerem, si causâ meâ Gratum esset.] Clara est emendatio Bongarsii: *faceres si causâ meâ Gratum esset.*

AD LIBRVM SECVNDVM.

In Prologo.

Exemplis continetur Æsopi genus] Non est plenum

hoc

hoc exordium, sed mutilatum. Immò totus hic Prologus egregiè luxatus. Sic redigo in suum ordinem:

* * * * * * * *

Exemplis continetur, Æsopi genus
Re commendatur, non auctoris nomine.
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error vt mortalium,
Acuatq; sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrandi locus,
Equidem omni curâ morem seruabo senis:
Sed si libuerit aliquid interponere
Dictorum, sensus vt delectet varietas,
Dum capiat aurem, & seruet propositum suum,
Bonas in partes, lector, accipias velim.

Qui iudicium adhibebit, facilè videbit istum horum versuum esse ordinem.

Ita sic] Tale est illud, *Ergo igitur.* quod Apuleio valdè frequens, & apud Arnobium quoque nostrum occurrit.

Cuius verbosa] Scribo: *Cui verbosa.* deinde in fine versus, *commentatio*, ex sententiâ V. CL. Cunradi Rittershusii, quâ nihil rectius.

FAB. XXXII.

Et quæ debetur pars tua modestiæ.] Scribo: *En quæ debetur p. t. m.*

FAB. XXXIII.

Ætatis media cuidam] Et hæc hiulca sunt; exciderítque versus aliquis, quod facilè apparebit rectè attendenti. Atque ita censueram, cùm ecce ad Pi-

thœanam Rittershusianamque editiones recurrens video idem illis visum, & defectus notas asteriscos positos. Itaque nequeo satis mirari, cur ab illis discesserit eruditissimus Rigaltius. Nam mutilum esse locum tam certum est, quàm solem lucere mero meridie.

FAB. XXXV.

Terrore effuso, & perturbatis sensibus] Correxeram, *Terrore offuso, e. p. s.* Cum video id iam olim ante me fecisse optimum humanissimumque virum, Cunradum Rittershusium. Et profectò, quod dissentit Schoppius, vir eruditus, ac tralationes, à quadrigis inculcat, vereor vt hoc probare cuiquam possit.

Direpit ad cubile s. s.] Nihil est mutandum; & ignoscent mihi doctissimi Coleri manes, si sententiam eius desero.

FAB. XXXVII.

Si verò accessit consiliator maleficus] Hiat hic locus, & est vt excidisse censeam versum vnum post hunc. Nam qui sequitur, cuius initium: *Vis & nequitia*: vt sic dicam, αὐτοκέφαλος est, & per se subsistit elegantissimè, estque perfecta γνώμη. dixerat Phædrus: Aduersus potentes nemo satis munitus est. Iam si accesserit malus consiliarius, omninò de hominibus actum est: quippe in quemcunque vis & nequitia simul impetum faciunt, eum euertunt. Vides itaque defectum.

Vis & nequitia q. o. r.] Frustra mutationem tentat Schoppius.

FAB.

FAB. XXXVIII.

Clarumq́ue collo iactans tintinnabulum] Nimis profectò negligenter fuerunt in deſcribendo Phædro librarii: & ecce iterum hîc defectus, quem facilè animaduertet qui aliquid naris habet. In ſequentibus quoque malè tranſpoſiti verſus ſunt, quos ego priſtino ordini reſtituo:

Subitò latrones ex inſidiis aduolant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Interq́ue cædem ferro multum tonſitant.
Spoliatus igitur &c.

Sed & ibi legendum: *multum tunſitant*. Vt ſit à *Tundendo*, non verò *Tondendo*. Sed non diſſimulanda lectio veteris codicis, vbi pro *tonſitant* eſt, *trucidant*. Ergo ſcripſerit Phædrus, *tuditant*. Nota hæc vox ex Feſto eſt. At verò neque iſta mihi ſatisfaciunt, *Interq́ue cædem*. Quid enim? Tantùm direptio hîc fit, nulla cædes. Corrigendum cenſeo: *Interq́ue prædam*.

IN EPILOGO.

Quoniam occupârat] Reſtituo duos hos verſus hoc modo:

Quoniam occupârat alter ne primus forem,
Ne ſolus eſſet ſtudui, quod ſuperfuit.

Sic equidem conieceram, cùm video idem Riterſhuſio in mentem quoque veniſſe. Gaudeo in concurſu talis viri.

Nec hæc inuidia, verùm eſt æmulatio] Heſiodus:

——— ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

Si liuor obtrectare] Malim: *Sin liuor o.*

FAB. XLII.

Sed expiari posse maiori hostiâ] Quæ est hæc *maior hostia*? Video tacere Interpretes, qui tamen videntur studuisse, ne quid tacerent dicendum per occasionem. *Maiorem* Phædrus pro *Maximâ* dixit, id quod Poëtis non insolens. Iam *Maxima hostia* apud veteres de ouibus dicebatur. Festus: *Maximam hostiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore.*

FAB. XLVI.

A furibus tuearis & noctu domum.] Quàm hoc sanè ineptum, domum tueri à nocte innoxiâ. Corrigendum aio: *& vecti domum*. Tuearis, inquit, domum à furibus, & vecticulariis. In schedis Festi: *Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratiâ.* Nemo ergo dubitabit hanc esse genuinam huius loci lectionem.

FAB. XLVII.

Pueriliter ludentes fortè inspexerant] Rectius multò est: *f. inspexerunt*. Librarius vim factam existimans legi metricæ mutauit, sed malè.

FAB. LI.

Hoc si quis pretii] Correxeram: *O si quis p.* Cùm video idem censuisse Rigaltium.

Ego qui te inueni] Lego: *Ego quum te inueni.*

FAB. LIII.

Tum victor Sophus] Immò victus erat Æsopus, Phædre. Nam profectò non est virile, recreare se inter pueros. Non ludus ad oblectationem inhonestus erat, sed hic modus. Scilicet, vt Poëta inquit:

Iss

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltrà citraq́, nequit consistere rectum.

At video Agesilai regis illustre exemplum, & hoc obiicies, vt tueri te possis. Sed etiam hic frustra es. Non illic cum pueris ludebat vir, sed cum liberis pater. Vides quàm hæc longè alia ratio sit.

FAB. LIV.

Non illam quæro] Præcesserit versus, qui excidit: nam profectò hæc hiant.

Tamen illa est potior] Hæc etiam hiulca sunt.

FAB. LVI.

Pinus Cibela] Aliter Faërnus:

Pinum humidi tridentifer rector sali.

FAB. LVII.

Fatorum arbitrio] Hiulca est hæc oratio, vt non paucæ in Phædro. Facilè obseruet attentus Lector.

FAB. LVIII.


medio sole quid tu cum lumine?] Non debet existimari τὸ *Tu* superesse: siquidem in fine est dactylus, non insolens claudere versus Comicos, & ipsi huic Phædro.

& abit festinans domum.] Scribo: *& abiit f. d.* Aliter versus non constat. Sed hoc quoque Rittershusio animaduersum video.

FAB. LIX.

Qui natus est infelix] Censeo cum Rittershusio, & Rigaltio, finem heic potiùs esse statuendum libro III, quàm exordium IV.

Verùm post obitum quoque.] Non est hæc γνώμη digna Philosopho. Vt quid enim? Sæuias quantum libet;





IOANNIS MEVRSI AD PHAEDRI AVGVSTI LIBERTI Fabulas ANIMADVERSIONES.

FAB. I.

ANTE *hos sex menses.*] Luxatus est versus, quem hoc modo restituo:

Ante hos sex menses maledixisti, ait, mihi.

Pater hercle tuus] Etiam hunc luxatum restituo:

Pater tuus, inquit, herclè maledixit mihi.

FAB. II.

Qui dissolutos mores] Video heic traiectionem à viris doctis institutam, quam non probo.

Motu sonoque] Rescripserim:

Totum sonore terruit pauidum genus.

FAB. III.

Suoq; potius habitu] Lego: *Suo quin potius h.*

FAB. V.

Hi cùm cepissent] Non mendum censeo, sed tamen est vt à Phædro scriptum putem: *Hic cùm c.* vt referatur ad τὸ *saltibus*, quod proximè præcedit.

Sola improbitas abstulit] Malebam: *solus improbiter abstulit.*

FAB. VI.

Solem velle ducere] Correxeram de coniecturâ: *Sol cùm vellet d.* cùm ecce video id iam ante me fecisse ex vetere libro eruditissimum Rigaltium. Gauisus sum diuinationi meæ esse firmamentum.

FAB. VIII.

Bis peccat] Non video quo modo, Phædre, nam prius vt tibi concedam, certè posterius non possum. Impunè enim abire non posse, peccatum non est, sed potius infelicitas è peccato nata. Itaque fugit te ratio.

Tandem persuasa est iureiurando gruis] Hiatum video, & defectum duûm trium versuum. Nam circumiens pretio omnes illicere lupus voluit; cur igitur grus persuasa est iureiurando? Sine dubio, interiectum fuerit: neminem medicinam facere ausum fuisse, cùm fidem lupo non haberent; quod cùm is animaduerteret, iureiurando se obstrinxerit: verùm cùm neque sic vllus temerè reperiretur qui vellet experiri, tandem grus persuasa fecit. Itaque sic edendus hic locus:

——— cæpit singulos
Inlicere pretio, vt illud extraherent malum.
* * * * * *

Tan-

Tandem persuasa est iureiurando gruis.

Ego, vt animo meo morem gererem, supplementum tale ludibundus faciebam:

——— vt illud extraherent malum.
Cùm nemo auderet, & fidem cuncti sibi
Suspectam haberent, omnem eiurauit dolum.
Tandem persuasa. ———

Equidem sic censeo. Iudicabit æquus Lector.

FAB. IX.

Lepus semianimus mortis in solatio] Scripserim: *m. in solatium.* Sed nihilominus hæc hiulca sunt, & exciderit versus:

Hac talia conspicatus, infit, ô bone,
Qui modò securus &c.

Certè talis aliquis. Nam non hæc verba solatium mortis lepori afferebant, sed aspectus similis fortunæ, in quam passer incidebat.

FAB. XI.

hic auriculas Clamore subito tollit] Scribserim: *hic auriculans Clamorem subitò tollit.* asinus *Auriculans* erit dictus Phædro, sicuti luna *Corniculans* Ammiano Marcellino.

FAB. XIV.

Cui calceandos nemo commisit pedes.] In editione Pithœanâ & Rittershusianâ est, *commiserit.* Censeo legendum: *nemo commißit pedes.* Et est ἀρχαϊσμὸς notissimus, pro *commiserit.*

FAB. XV.

Nil præter domini mores mutant pauperes] Certa est correctio Viri Nob. & Ampl. Iacobi Bongarsii: *p. domini nomen mutant p.* N 3 *timi-*

timidus pascebat senex.] Scribendum: *tumidus p. s.* id est, impotenter dominans. Et conuenit hæc lectio morali fabulæ, quod est de principatu, & dominatione immodicâ. Simile mendum infrà quoque est Fab. LXXXIV.

FAB. XVI.

Fraudator homines cùm auocat] Præfero illud è vetere schedâ Danielis. *F. nomen cùm locat.* Sed neque τὸ *Fraudator* mihi sincerum ac sine fraude illîc esse videtur. Non enim respondet oui, quod animal planè innoxium est, & omnis fraudis ignarissimum. Itaque expendendus locus. Censebam ego: *Fraudatur nomen q. l.* Estque *Fraudatur* pro *Defraudatur*, decipitur.

FAB. XVIII.

mulier peractis mensibus] A glossâ hoc est. Rescribo: *mulier actis mensibus.* aliter versus non constat. Quidam ad oram adscripserat, *peractis.* Hinc glossa in textum irrepsit, quod sæpe factum in aliis autoribus quoque viri docti obseruârunt.

FAB. XXI.

te Naturæ dedecus Quod ferre certè cogor, bis videor mori.] Rectiùs transponas vocem loco suo motam, legasque: *t. N. d. Q. ferre cogor, certè bis v. m.*

FAB. XXII.

facerem, si causâ meâ Gratum esset.] Clara est emendatio Bongarsii: *faceres si causâ meâ Gratum esset.*

AD LIBRVM SECVNDVM.

In Prologo.

Exemplis continetur Æsopi genus] Non est plenum

hoc

hoc exordium, sed mutilatum. Immò totus hic Prologus egregiè luxatus. Sic redigo in suum ordinem:

* * * * * * * *

Exemplis continetur, Æsopi genus
Re commendatur, non auctoris nomine.
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quàm corrigatur error vt mortalium,
Acuatq; sese diligens industria.
Quicumque fuerit ergo narrandi locus,
Equidem omni curâ morem seruabo senis:
Sed si libuerit aliquid interponere
Dictorum, sensus vt delectet varietas,
Dum capiat aurem, & seruet propositum suum,
Bonas in partes, lector, accipias velim.

Qui iudicium adhibebit, facilè videbit istum horum versuum esse ordinem.

Ita sic] Tale est illud, *Ergo igitur.* quod Apuleio valdè frequens, & apud Arnobium quoque nostrum occurrit.

Cuius verbosa] Scribo: *Cui verbosa.* deinde in fine versus, *commentatio*, ex sententiâ V. Cl. Cunradi Rittershusii, quâ nihil rectius.

FAB. XXXII.

Et quæ debetur pars tua modestiæ.] Scribo: *En quæ debetur p. t. m.*

FAB. XXXIII.

Ætatis media cuidam] Et hæc hiulca sunt; exciderit que versus aliquis, quod facilè apparebit rectè attendenti. Atque ita censueram, cùm ecce ad Pi-

thœanam Rittershusianamque editiones recurrens video idem illis visum, & defectus notas asteriscos positos. Itaque nequeo satis mirari, cur ab illis discesserit eruditissimus Rigaltius. Nam mutilum esse locum tam certum est, quàm solem lucere mero meridie.

FAB. XXXV.

Terrore effuso, & perturbatis sensibus] Correxeram, *Terrore offuso, e. p. s.* Cum video id iam olim ante me fecisse optimum humanissimumque virum, Cunradum Rittershusium. Et profectò, quod dissentit Schoppius, vir eruditus, ac tralationes, à quadrigis inculcat, vereor vt hoc probare cuiquam possit.

Direpit ad cubile s. s.] Nihil est mutandum; & ignoscent mihi doctissimi Coleri manes, si sententiam eius desero.

FAB. XXXVII.

Si verò accessit consiliator maleficus] Hiat hic locus, & est vt excidisse censeam versum vnum post hunc. Nam qui sequitur, cuius initium: *Vis & nequitia*: vt sic dicam, αὐτοτελέσταλ☉ est, & per se subsistit elegantissimè, estque perfecta γνώμη. dixerat Phædrus: Aduersus potentes nemo satis munitus est. Iam si accesserit malus consiliarius, omninò de hominibus actum est: quippe in quemcunque vis & nequitia simul impetum faciunt, eum euertunt. Vides itaque defectum.

Vis & nequitia q. o. r.] Frustra mutationem tentat Schoppius.

FAB.

FAB. XXXVIII.

Clarumq́ue collo iactans tintinnabulum] Nimis profectò negligenter fuerunt in describendo Phædro librarii: & ecce iterum hîc defectus, quem facilè animaduertet qui aliquid naris habet. In sequentibus quoque malè transpositi versus sunt, quos ego pristino ordini restituo:

Subitò latrones ex insidiis aduolant,
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.
Interq́ue cædem ferro multum tonsitant.
Spoliatus igitur &c.

Sed & ibi legendum: *multum tunsitant*. Vt sit à *Tundendo*, non verò *Tondendo*. Sed non dissimulanda lectio veteris codicis, vbi pro *tonsitant* est, *trucidant*. Ergo scripserit Phædrus, *tuditant*. Nota hæc vox ex Festo est. At verò neque ista mihi satisfaciunt, *Interq́ue cædem*. Quid enim? Tantùm direptio hîc fit, nulla cædes. Corrigendum censeo: *Interq́ue prædam*.

IN EPILOGO.

Quoniam occupârat] Restituo duos hos versus hoc modo:

Quoniam occupârat alter ne primus forem,
Ne solus esset studui, quod superfuit.

Sic equidem conieceram, cùm video idem Ritershusio in mentem quoque venisse. Gaudeo in concursu talis viri.

Nec hæc inuidia, verùm est æmulatio] Hesiodus:
——— ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

Si liuor obtrectare] Malim: *Sin liuor o.*

FAB. XLII.

Sed expiari posse maiori hostiâ] Quæ est hæc *maior hostia*? Video tacere Interpretes, qui tamen videntur studuisse, ne quid tacerent dicendum per occasionem. *Maiorem* Phædrus pro *Maximâ* dixit, id quod Poëtis non insolens. Iam *Maxima hostia* apud veteres de ouibus dicebatur. Festus: *Maximam hostiam ouilli pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore.*

FAB. XLVI.

A furibus tuearis & noctu domum.] Quàm hoc sanè ineptum, domum tueri à nocte innoxiâ. Corrigendum aio: *& vecti domum*. Tuearis, inquit, domum à furibus, & vecticulariis. In schedis Festi: *Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratiâ.* Nemo ergo dubitabit hanc esse genuinam huius loci lectionem.

FAB. XLVII.

Pueriliter ludentes fortè inspexerant] Rectius multò est: *f. inspexerunt*. Librarius vim factam existimans legi metricæ mutauit, sed malè.

FAB. LI.

Hoc si quis pretii] Correxeram: *O si quis p.* Cùm video idem censuisse Rigaltium.

Ego qui te inueni] Lego: *Ego quum te inueni.*

FAB. LIII.

Tum victor Sophus] Immò victus erat Æsopus, Phædre. Nam profectò non est virile, recreare se inter pueros. Non ludus ad oblectationem inhonestus erat, sed hic modus. Scilicet, vt Poëta inquit:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltrà citraq́; nequit consistere rectum.

At video Agesilai regis illustre exemplum, & hoc obiicies, vt tueri te possis. Sed etiam hîc frustra es. Non illîc cum pueris ludebat vir, sed cum liberis pater. Vides quàm hæc longè alia ratio sit.

FAB. LIV.

Non illam quæro] Præcesserit versus, qui excidit: nam profectò hæc hiant.

Tamen illa est potior] Hæc etiam hiulca sunt.

FAB. LVI.

Pinus Cibela] Aliter Faërnus:
Pinum humidi tridentifer rector sali.

FAB. LVII.

Fatorum arbitrio] Hiulca est hæc oratio, vt non paucæ in Phædro. Facilè obseruet attentus Lector.

FAB. LVIII.

medio sole quid tu cum lumine?] Non debet existimari τὸ *Tu* superesse: siquidem in fine est dactylus, non insolens claudere versus Comicos, & ipsi huic Phædro.

& abit festinans domum.] Scribo: *& abiit f. d.* Aliter versus non constat. Sed hoc quoque Rittershusio animaduersum video.

FAB. LIX.

Qui natus est infelix] Censeo cum Rittershusio, & Rigaltio, finem heic potiùs esse statuendum libro III, quàm exordium IV.

Verùm post obitum quoque.] Non est hæc γνώμη digna Philosopho. Vt quid enim? Sæuias quantum libet;

bet in demortui cadauer, nihil hoc omninò ad se pertinere sapiens putabit, tantum abest vt miseriam in eo aliquo collocet. Errasti itaque, Phædre.

Lib. IV.

In Prologo.

Ioculare tibi videtur] Malè transpositi duo primores versus. Restituo in pristinum ordinem:

Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Ioculare tibi videtur, & sanè leue.
Sed diligenter &c.

Euidens est correctio mea.

Non semper ea sunt quæ videntur] Theocritus:

Πολλάκις, ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.

Quod interiore condidit cura angulo] Scripserim: *Q. i. condidit cor angulo.* Alludit ad fabulam de Momo accusante Iouem, quòd pectus homini fenestratum non indidisset, quo cordis secretum perspici potuisset.

Fab. LX.

Alter similiter deinde periit] Mendòsi sunt hi duo tres versus. Emaculo hoc modo:

Alter similiter deinde periit, at tertius
Alios venit secutus rectè territus,
Quia sæpe laqueos & muscipula effugerat.

Fab. LXIII.

Domum politam, & delicatos hortulos] Rigaltius hunc versum transponit. Non assentior. Et vis sententiæ meæ fulcrum? Ecce, in sequentibus, cùm Æsopus malè data ex testamenti sententiâ mutat.

Domum

Domum, & ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanifica rusticæ.

Nihil clarius, nihil certius: mutat Æsopus nihil in rebus, sed alias iis tantùm personas assignat.

IN DIGRESSIONE PHÆDRI.

Et in cothurnis prodit Æsopus nouis] Scribo: *En in c.*

FAB. LXIX.

Opes inuisa meritò sunt forti viro] Non rectè philosopharis, Phædre. Odisse opes, non est viri fortis: immò non cadit hic adfectus in eum, cuius omnis virtus consistit in æquanimâ patientiâ, & generoso contemptu. At *sapienti viro* dicere fortasse voluisti. Sed neque sic euadis. Nunquam oderit vir sapiens diuitias, quippe quas scit sine culpâ & crimine se admittere posse. Hoc tantum faciet. Si obstabit Honesti respectus, contemnere se illas posse ostendet. Et dic, sodes, bonâ fide. Itáne videntur tibi *opes inuisa meritò?* Erras profectò; vt & in lemmate, quo *malas* esse contendis. Audi veram vocem. Non diuitiæ malæ sunt, sed mali qui illis malè vtuntur. Prætereà, vt porrò tibi errorem tuum manifestum faciam, Hercules ille in tuâ fabellâ non dicit odisse se diuitias, sed diuitem corruptorem. Hoc attendere debueras, & lemma facere: *Malas esse corruptelas.*

FAB. LXXIV.

Faciem ad serenam subitò mutatur dies] Suspectum mendi locum hunc habent viri docti, & rectè: placetque emendatio Schoppii: *subitò mutat vt dies.* Mihi tamen in mentem veniebat: *F. a. serenam vbi commutatur dies.* Arbitrium esto penes Lectorem.

FAB.

bet in demortui cadauer, nihil hoc omninò ad se pertinere sapiens putabit, tantum abest vt miseriam in eo aliquo collocet. Errasti itaque, Phædre.

Lib. IV.

In Prologo.

Iocalare tibi videtur] Malè transpositi duo primores versus. Restituo in pristinum ordinem:

Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.
Ioculare tibi videtur, & sanè leue.
Sed diligenter &c.

Euidens est correctio mea.

Non semper ea sunt quæ videntur] Theocritus:

Πολλάκις, ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται.

Quod interiore condidit cura angulo] Scripserim: *Q. i. condidit cor angulo.* Alludit ad fabulam de Momo accusante Iouem, quòd pectus homini fenestratum non indidisset, quo cordis secretum perspici potuisset.

Fab. LX.

Alter similiter deinde periit] Mendôsi sunt hi duo tres versus. Emaculo hoc modo:

Alter similiter deinde periit, at tertius
Alios venit secutus rectè territus,
Quia sæpe laqueos & muscipula effugerat.

Fab. LXIII.

Domum politam, & delicatos hortulos] Rigaltius hunc versum transponit. Non assentior. Et vis sententiæ meæ fulcrum? Ecce, in sequentibus, cùm Æsopus malè data ex testamenti sententiâ mutat.

Domum

Domum, & ornamenta, cum venustis hortulis,
Et vina vetera date lanifica rusticæ.

Nihil clarius, nihil certius: mutat Æsopus nihil in rebus, sed alias iis tantùm personas assignat.

In digressione Phædri.

Et in cothurnis prodit Æsopus nouis] Scribo: *En in c.*

Fab. lxix.

Opes inuisa meritò sunt forti viro] Non rectè philosopharis, Phædre. Odisse opes, non est viri fortis: immò non cadit hic adfectus in eum, cuius omnis virtus consistit in æquanimâ patientiâ, & generoso contemptu. At *sapienti viro* dicere fortasse voluisti. Sed neque sic euadis. Nunquam oderit vir sapiens diuitias, quippe quas scit sine culpâ & crimine se admittere posse. Hoc tantum faciet. Si obstabit Honesti respectus, contemnere se illas posse ostendet. Et dic, sodes, bonâ fide. Itáne videntur tibi *opes inuisa meritò?* Erras profectò; vt & in lemmate, quo *malas* esse contendis. Audi veram vocem. Non diuitiæ malæ sunt, sed mali qui illis malè vtuntur. Prætereà, vt porrò tibi errorem tuum manifestum faciam, Hercules ille in tuâ fabellâ non dicit odisse se diuitias, sed diuitem corruptorem. Hoc attendere debueras, & lemma facere: *Malas esse corruptelas.*

Fab. lxxiv.

Faciem ad serenam subitò mutatur dies] Suspectum mendi locum hunc habent viri docti, & rectè: placetque emendatio Schoppii: *subitò mutat vt dies.* Mihi tamen in mentem veniebat: *F. a. serenam vbi commutatur dies.* Arbitrium esto penes Lectorem.

FAB. LXXV.

Citati non respondent:] Præcesserint sine dubio aliqua, quæ exciderunt; nam hæc non cohærent. Sed totam hanc fabellam nimis negligenter exscripsit librarius, versibus aliquot hic illic per oscitantiam dicam, an festinationem, omissis. Sic itaque hæc edi debent:

Profecti sunt legati non celeri pede,
Dum naribus scrutantur escam in stercore.
* * * * * *
Citati non respondent: vix tandem inuenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum verò vultum magni vt viderunt Iouis,
Totam timentes concacârunt regiam.
Propulsi verò fustibus vadunt foras.
* * * * * * * *
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
* * * * * * *
Mirati sibi legatos non reuertier,
Turpe æstimantes aliquid commissum à suis,
Post aliquod tempus alios adscribi iubent.
* * * * * * * * *
Rumor legatos superiores prodidit,
Timentes rursus aliquid ne simile accidat,
Odore canibus anum sed multo replent.

Sed, age, examinemus singulas lacunas.

Vetat dimitti magnus illos Iupiter.] Præcesserit hic minimum versus vnus, rationem complectens, qui motus Iupiter dimitti ita illos noluerit, etsi eiectos post tam turpe facinus.

Mi-

Mirati sibi legatos non reuertier.] Exciderint heic versus duo tres præcedentes, quibus comprehenderit Phædrus, quid Iupiter, postquam dimitti vetuisset, cum illis egerit: illos verò præ pudore facti ad suos reuerti ausos non fuisse: itaque cùm emanerent, alii canes *Mirati sibi legatos* &c.

Rumor legatos superiores prodidit.] Hîc præcesserit versus vnus aliquis talis:

Cùm intereà se gessisse quàm turpissimè
Rumor legatos &c.

Timentibus rursus aliquid] Rectiùs duæ primores editiones, *Timentes.* Quas cur Rigaltius secutus non fuerit, nescio.

*Mandant * dimittuntur*] Restituo cum V. Cl. Conrado Rittershusio: *Mandata dant, dein mittuntur.*

Sic est locutus ante pœnam Iupiter] Rescribo: *Hic est locutus a. p. I.*

Sed hoc feretis pro iudicio præmium] Lego: *Sed hoc ferent ii pro i. p.* Alloquitur enim Iupiter non legatos, sed collegium deorum, qui omnes clamârant vindicandam iniuriam: nam ecce de legatis statim loquitur in tertiâ personâ:

Non veto dimitti, verùm cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.

Itaque mox legendum quoque:

Illi autem qui miserunt hos tam futiles.

Ita nunc legatos expectantes] Duos hos postremos versus mendosos esse manifestum est, atque ita corrigendos:

Ita nunc legatos expectantes posteri,

Nouum venire cùm vident, culum olfaciunt.

Et hæc Bongarsii quoque sententia est.

FAB. LXXVII.

Diu est iratù natus] Plurima huc pertinentia notaui olim Commentario extremo ad Lycophronem.

FAB. LXXVIII.

Circumcîdit omnem impensam funeris] Quantæ fuerint apud Romanos funerum impensæ, docui non ita pridem abundè libro singulari, *De Funere*, cap. XLIV. Hunc vide, si tanti est.

Libitina ne quid de tuo faciat lucrum] de Libitinâ ibidem pertractaui.

FAB. LXXIX.

Mercede acceptâ laudem victorum canens] Tradiderunt veteres Simonidem quæstum in artem introduxisse: eamque in rem finxisse duo penes se esse scrinia, vnum Gratiarum, alterum mercedis. Suidas: Σιμωνίδης. λυρικός. οὗτος πρῶτος δοκεῖ μικρολογίαν εἰσενεγκεῖν εἰς τὸ ἆσμα, καὶ γράψαι ἆσμα. εἶχε δὲ δύο κιβώτια. τὴν μὲν τῶν χαρίτων κενὴν, τὴν δὲ ἑτέραν πλέαν. Hinc illud Theocriti Idyll. XVI, quod χάριτες inscribitur:

Ὁ κηνέας δὲ πάλιν κενεᾶς ἐπὶ πυθμένι χηλοῦ
Ψυχροῖς ἐν γονάτεσσι κάρη μίμνοντι βαλοῖσαι,
Ἔνθ᾽ αἰνὴ σφίσιν ἕδρη ὅταν ἄπρακτοι ἵκωντι.

Et est locus elegans apud Aristophanis Scholiasten ad Pacem, quem illîc memini me annotare ante annos tredecim in meo Spicilegio.

Hi Zonas, illi res pretiosas colligunt.] Hæc hiulca sunt, neque cohærent. Exciderit minimum versus vnus.

FAB.

FAB. LXXXI.

Est gloriosus sanè conuictus deûm] Turbatissimus erat horum versuum ordo, quem optimè ex vetere libro restituit doctissimus Rigaltius.

FAB. LXXXII.

Certo conduxit pretio] Legendum omninò statuo: *Certo condixit pretio*. Simonides enim non conduxerat, sed conductus erat. Ergo manifestum mendum, & certa correctio mea.

IN SECVNDA DIGRESSIONE PHÆDRI.

Et mors vicina flagitabit debitum.] Recta hæc omnia, & ordinata; neque debebat transponere Rigaltius.

AD LIBR. V.

In Prologo priore.

Cùm destinassem terminum operis habere] Luxatus versus est, quem restituo:

Cùm destinassem operis habere terminum.

Porrò debet heic statui initium libri quinti, non finis quarti. Claré patet ex istis sequentibus:

Quartum libellum dum vaciuè perleges,
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non poßit, obtrectet licet.

Consilium tacito corde damnaui *] Conieceram supplendum: *C. t. c. damnaui meum*. Cùm ecce ad Rittershusii Notas recurrens video idem me cum illo censuisse. Sequentes verò tres versus sic suppleo, & corrigo:

Nam si quis talis etiam est tituli diligens,
Quo pacto damnabit quod quidquam omiserim,
Vt illum ipsum cuipiam famæ traderem.

O Planè

Planè respexit Poëta ad ista Epilogi superioris libri:

Dein si quis eadem fortè conari velit,
Habere vt possit aliquid operis residui.

Sua cuique cùm sit animi cogitatio] Hîc excidisse versum vnum aut alterum, præcedentem existimo.
Quartum libellum dum vaciuè perlegis]. Post hunc quoque versum alter exciderit: nam hîc sensus nullus est perfectus. Itaque hæc sic edenda sunt:

Vt illum ipsum cuipiam fama traderem.
* * * * * *
Sua cuique cùm sit animi cogitatio,
Colorq́; propior. ergo non leuitas mihi
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æsopias non Æsopi nomino,
Quasi paucas ostenderit, ego plures dissero,
Vsus vetusto genere, sed rebus nouis;
Quartum libellum dum vaciuè perleges,
* * * * * * *
Hunc obtrectare si volet malignitas.

Et quæ sequuntur.
In literarum plausum ire desidero] Exercuit quoque hic locus ingenia virorum doctorum; sed profectò sanus est, & plani sensus. Si maligni, inquit Phædrus, obtrectare hunc librum volent, faciant, dum imitari non possint. Mihi satis laudis est, Particulo, quod tibi ac tui similibus placeam; neque aliud votum habeo, quàm ire in plausum literarum, id est, literatorum.

In

IN PROLOGO ALTERO.

Detrito, Myronem argento.] Profectò nihil heic sani, pro vetere verbo. Primùm, si *Detrito* legas, iam laborat versus. deinde hæc locutio Latina non est:

Qui pretium operibus maius inueniunt, nouo
Si marmori adscripserunt Praxitelen, suo
Detrito, Myronem argento. —

Quis vnquam dixit? *Adscribere marmori Praxitelen suo detrito.* Et quonam? an nomine? at verò hoc expressè addendum erat, non subintelligendum, cùm nusquam ea vox præcederet, quò posset referri tanquam ἀπὸ κοινοῦ. Dicam quod res est. In grauissimo mendo cubat locus, quem hoc modo corrigo:

Si marmori adscripserunt Praxitelen, sui
Demto, mirum! argumento.

Et sic quidem recta omnia.

FAB. LXXXIII.

Vt mos est vulgi] Luxatus locus est, & ab interpunctione quoque laborat. Restituo:

Vt mos est vulgi, passim & certatim ruit,
FELICITER, subclamat. ipsi principes,
Tacitè gementes tristem Fortunæ vicem,
Ipsam osculantur, quâ sunt oppressi, manum.
Quin etiam.

FAB. LXXXIV.

Timidus accurrit comes.] Lego: *Tumidus a. c.* Id est, ferociens iam occiso latrone. Simile mendum sustuli suprà Fab. XV.

FAB. LXXXV.

quàm qui consilio est nocens] Emendo: *quia qui c. e. n.*

Rigaltius cenſebat: *nam qui.* Neque improba coniectura.

FAB. LXXXVI.

Periculoſum ſemper reputaui lucrum.] An quodlibet, Phædre, etiam honeſtum? Certè verſum aliquem tuum ſequentem librarius prætermiſerit, quo lucrum illud deſcripſeras. Nam te quidem fabellæ tenor abſoluit. In illâ enim reiicit hordeum aſellus, quia verres, cui datum fuerat, iugulatus erat. Tu retuliſti ad te, & dixiſti, inuiſum tibi eſſe lucrum, non quoduis, ſed illud tantùm, quod honeſtam famam iugularet. Et video verſum ſequentem:

Sed dicis: qui rapuere diuitias, habent.

Illîc notandum τὸ *Rapuere.* Eſt igitur, quod dixi. Exciderit hîc verſus.

Numeremus, agedum, qui deprehenſi perierint] Exciderit & hîc verſus talis aliquis:

Et ſine culpâ plerique aut pœnâ poſſident.

Clarè indicant hi duo, tresve, qui ſequuntur:

Numeremus, agedum, qui deprehenſi perierint.
Maiorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas eſt bono, multis malo.

Ergo ſic edendus hic locus:

Periculoſum ſemper reputaui lucrum.
* * * * * *
Sed dicis, qui rapuere diuitias habent.
* * * * * *
Numeremus, agedum, qui deprehenſi perierint.

FAB. LXXXVII.

Prauo fauore labi mortales solent] Ita malo cum Rigaltio, quàm quomodò habent editiones primores: *Paruo fauore.*

FAB. LXXXIX.

Totum prosternit] Amicissimus Rigaltius immutat heic versuum ordinem. Non probo factum.

Superbiens honorem vidit diuina domus] Corrigo: *Superbiens honore diuina domus.* Natum est τὸ *vidit* ex verbo, *diuina.*

FINIS.



FABELLÆ
&
ÆNIGMATA
Veterum Poetarum,

Græcorum & Latinorum.

AVCTARIVM *ad Phædri Fabellas, & Cælij Symposij Ænigmata.*



GABRIÆ, ſeu potius IGNATII DIACONI Tetraſticha in Fabellas Æſopicas.

Homo, & Leo lapideus.

PEDIBVS *premebat Vir Leonem ſaxeum:*
Tum quis Leoni, Robur, inquit, adſpicis?
Cui ille, Noſſent ſi leones ſcalpere,
Certè videres plurimos lapides viros.
Virtute nullum turgide inflari decet.

Leo dormiens & Mus.

Mus dormientis forte ceruicem Leæ
Perambulabat: illa ſurgit illico.
Vulpecula adſtans riſit. hæc refert,
Se non timere, ſed via diuertere.
Vel maxime deſpecta nunquam deſpice.

Leo, Aper, & Vultures.

Aduerſus Apro ſtabat in pugnam Leo:
Id deſuper ſpeculata turba Vulturum,
Victum alterum iam deſtinabat victui;
Sed facta eorum pace; ſpes euanuit.
Aliena nulli gaudium duint mala.

Caprea, & furibundus Leo.

Vidit furentem cum Leonem Caprea,
Heu quanta clades nunc feras, inquit, manet!

Εἰ σωφρονῶν γε, δυσκάθεκτος εἶ λέων,
Πῶς νῦν μανεὶς οὐ μετὰ δακρύων δράσεις;

ΕΠΙΜ. ὅτι ἐξουσίαν ἔχοντα οὐ δεῖ θυμοῦσθαι.

Περὶ λέοντος, ὄνου, ἀλώπεκος.

Λέων, ὄνος, κερδώ τε πρὸς θήραν ἴσαν.
Ὄνου δὲ ταύτην εἰς τρίτον δεδασμένου,
Λέων κατεσπάραξε. κερδὼ δὲ πλέον
Ἔνειμεν αὐτῷ, σωφρονισθεῖσ' ἐξ ὄνου.

ΕΠΙΜ. ὅτι δεῖ ἐξ ὧν πάσχουσιν ἕτεροι, παιδεύεσθαι.

Περὶ ὄνου βαστάζοντος εἴδωλον.

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦν βρέτας,
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις αὖ ἐπροσκύνει.
Τύφῳ δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος,
Ἤκουσεν, οὐ θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὅτι τοὺς ἐν ἀξιώμασι τιμωμένους δεῖ γινώσκειν ὅτι ἄνθρωποί εἰσιν.

Περὶ παιδὸς ἐσθίοντος σπλάγχνα.

Βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἑορτὴν ἔγκατα,
Οἴμοι κέκληγ', ὡς σπλάγχνα μῆτερ, ἐκχέω.
Ἡ δ' αὖ γελῶσα, μὴ φοβοῦ τέκνον, ἔφη,
Τῶν σῶν γὰρ οὐδὲν, ἀλλ' ἐμεῖς ἀλλοτρίων.

ΕΠΙΜ. ὅτι δεῖ τἀλλότρια ἀντιστρέφειν, καὶ μὴ γογγύζειν.

Περὶ ἀλώπεκος καὶ βάτου.

Φραγμοὺς ἀλώπηξ ὡς ὑπερβαίνειν θέλει,
Ὀλισθάνουσα, καὶ βάτου δεδραγμένη,
Ἐξέσο πέλμα. λοιδορεῖ δὲ τὴν βάτον.
Μέμφου σεαυτὴν, μὴ μὲ σὺ, κεῖνος φάτο.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. πρὸς τοὺς τὰ ἑαυτῶν κακὰ σιωπῶντας, τὰ δὲ τῶν ἑτέρων κατηγοροῦντας.

Περὶ

Si nemo ſaunm ſuſtinere te queat,
Non mente captus luctuoſa perpetres?
Iram refrena, plurimum quando potes.

Leo, Aſinus, & Vulpes.

Cum Vulpe Aſellus & Leo venatum eunt,
Tum prædam Aſellus diuidit trifariam,
Ipſus Leoni eſt præda. cedit plus ei
Exemplo Aſelli cautior Vulpecula.
Exemplo apiſci conuenit prudentiam.

Aſinus ſimulacrum baiulans.

Idolum Aſellus baiulans argenteum,
Cui ſupplicabant quotquot obuij forent,
Manere cum nollet, tumens ſuperbia,
Audiuit, Haud es tu deus, ſed fers deum.
Sortis memento, quiſquis emines, tuæ.

De puero qui inteſtina deglutierat.

Bouis vorarat viſcera in feſto Puer:
Ah, clamat, inteſtina mater euomo!
Tunc illa ridens, Non, ait, fili time:
Nil hic tuorum: alius eſt quod euomis.
Quæcumque non tua obtines, redde, & tace.

Vulpes & Rubus.

Conata ſepem tranſilire, ſentibus
Vulpes inhæſit corruens; plantam & dolens
Compuncta, probra plurima ingeſſit Rubo.
Culpato teipſam, hic ille; me quid increpas?
Ni purus ipſus, alterum ne carpito.

Περὶ κώνωπος καὶ ταύρου.

Κώνωψ καθῆστο πρὸς κέρας ταύρου πάλαι,
Ονῶρ κέλευεν, εἴπερ ἐπῆναι θέλει.
Ἤκουσε δ', ὥσπερ οὐκ ἔγωγε καθήμενον,
Οὕτω γὰρ μὴ πήσαντος αἴσθησιν λάβῃ.
ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. πρὸς τοὺς λογιζομένους ἑαυτοὺς εἶναι ἢ σοφοὺς, ἢ δυνατοὺς, ἢ φρονίμους, μὴ ὄντας δέ.

Περὶ ἐλάφου καὶ ἀμπέλου.

Ἔλαφον ἐξήλαυνον οἱ κυνηγέται.
Ἡ τις δασείαις ἀμπέλοις ἀπεκρύβη·
Τὰ φύλλα βιβρώσκουσα δὴ τῶν ἀμπέλων,
Κυνηγετοῦσιν ἐνδίκως ἐθηρεύθη.
ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς κακοποιοῦντας τοὺς αὐτῶν εὐεργέτας.

Περὶ ὄφεως καὶ γεωργοῦ.

Ὄφιν θέλων τις ἀντ' ὀλέθρου παιδίου
Πλήττειν, πέτραν ἔθειωσε, καὶ φιλεῖν θέλει.
Ὁ φις δέ φησι, πῶς γένοιντο συμβάσεις,
Ἕως σὺ τύμβον τόνδ', ἐγὼ πέτραν βλέπω;
ΕΠΙΜ. ὅτι αἱ μεγάλαι ἔχθραι ἀδιάλλακτοί εἰσιν.

Περὶ παιδὸς καὶ σκορπίου.

Ὡς ἀκρίδας θήρευε παῖς τις, σκορπίῳ
Προὔτεινε χεῖρας· ὃς δὲ, μὴ ψαύσῃς, ἔφη·
Ὡς εἴγε μου ψαύσειας, ἐκ κόλπων σέθεν
Καὶ τὰς ἀληθεῖς ἐκκενώσεις ἀκρίδας.
ΕΠΙΜ. ὅτι δεῖ κακοῖς ἀνθρώποις μὴ συμμίγνυσθαι.

Περὶ συὸς καὶ μυός.

Σῦς εἷλκέ τις μῦν ἔργον ὄντ' ἀσπιτίας.
Οὓς χαλκέες βλέποντες, ἔστησαν γέλων.

Ο μῦς

Culex & Taurus.

Tauri ſedebat vilis in cornu Culex:
Volare num ſe vellet, ipſum interrogat.
Reſpondet ille: Nec ſedentem noueram;
Nec euolantem te profectò ſentiam.
Stulta eſt inertis garruli arrogantia.

Cerua & Vitis.

Vitans fugata Cerua venantum dolos,
Denſos latebat vitium poſt pampinos:
Sed folia cœpit ipſa cum prærodere,
Fit iure lætus præda venatoribus.
Lædere tandem ſi beneficum læſeris.

Serpens & Agricola.

Vlturus Anguem quis necatum ob filium,
Petram cecidit. vult redire in gratiam.
Sed dixit Anguis, Quænam erit concordia,
Dum tu ſepulcrum, egoque petram adſpexero?
Vix odia ceſſent, cauſa dum remanſerit.

Puer & Scorpio.

Puer locuſtas ceperat: mox Scorpio
Manum propinquat: ceterum is caueat monet.
Me ſi tetigeris, inquit, actutum gemens
Veras locuſtas e ſinu proieceris.
Haud cum malignis tuta conuerſatio eſt.

De Sue & Mure.

Vrgente Murem ventre Sus raptauerat:
Quod conſpicati forte riſerunt fabri.

Ο μῦς δ' ἔτι ζῶν, εἶπε μέσος δακρύων,
Ὡς οὐδὲ σὺν δύναθε κἂν βέφειν ἕνα;

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. πρὸς τοὺς τὰ ἑαυτῶν παραπτώματα παραβλέποντας, τὰ δὲ τῶν ἑτέρων γελῶντας.

Περὶ ὄνου καὶ λεοντῆς.

Φέρων λέοντος δέρμα τοῖς ὤμοις ὄνος,
Ηὔχει λέων εἶναί τις, αἰπόλοις βλέπων.
Ἐπεὶ δὲ γυμνὸς τῆς λεοντῆς εὑρέθη,
Τοῦτον μυλὼν ἔμνησε τῆς ἀταξίας.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι αἱ παρ' ἀξίαν τιμαὶ τάχιστα λύονται.

Περὶ τράγου καὶ ἀμπέλου.

Τράγῳ προσεῖπεν ἄμπελος, βλάπτεις σύ με
Κείρων τὰ φύλλα. μὴ γὰρ οὐκ ἔστι χλόη;
Ὅσον γὰρ ἂν βλάψειας, ἀρκέσω τάχα
Πρὸς θυσίαν σὴν εἰς θεοὺς οἶνον βλύσαι.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὅτι πολλάκις θέλων τὶς ἀδικεῖν τινὰ, ὠφελεῖ αὐτόν.

Περὶ ἀνδρὸς καὶ γαλῆς γυναικός.

Ἀνὴρ γαλῆν γυναῖκα πρὸς δόμοις ἄγει.
Παρῆν δὲ κύπρις εἰς ἑορτὴν τοῦ γάμου.
Νύμφη δὲ μῦν βλέψασα, συντόνως τάχει
Δίωκε τοῦτον, μὴ τραπεῖσα τὴν φύσιν.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὅτι τὸ ἐκ φύσεως ὂν, οὐ μεταβρέπεται.

Περὶ δορκάδος τὴν τῶν ποδῶν λεπτότητα μεμφομένης.

Πηγαῖς ὁρῶσα δορκὰς αὐτῆς τὴν θέαν,
Λεπτοὺς πόδας μωμεῖτο, χαίρε δ' εἰς κέρα.
Λέων δ' ἐπεὶ δίωκε, τούτοις ἠγάπα,
Κέρα καθυβρίζουσα, θήρας ὡς πάγην.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὅτι πολλάκις τὶς ὠφελεῖται, ἐξ ὧν δοκεῖ βλάπτεσθαι.

Περὶ

Mus vero adhuc superstes inlacrymans ait,
Nutrire non potestis vnicam suem?
Ne casum alius sperne, securus tui.

Asinus pellem leoninam indutus.

Quondam Leonis Asinus exuuias ferens,
Se pro Leone iactitat caprariis.
Verum Leonis pelle nudus vt fuit,
Vecordiæ eius hunc molendinum admonet.
Quos non mereris, vltro honores defluent.

Hircus & Vitis.

Sic Vitis Hirco: Tu mihi improbus noces
Qui folia rodis. herba vero haud suppetit?
At, si lubebit, perge. sat vini tamen
Feram, tibi quod victimæ inspergi queat.
Plerumque iuuit cui nocendi mens fuit.

De Viro & Fele vxore.

Felem Vir olim coniugem duxit domum;
Interfuit quin ipsa nuptiis Venus:
Sed sponsa viso mure, præceleri gradu
Eum insequuta est, more naturæ incita.
Natura quod firmauit, haud mutes facul.

Caprea indignata ob pedum gracilitatem.

In fonte sese conspicata Caprea,
Pedum dolebat gracile, læta cornibus.
Sed mox leone instante, collaudat pedes,
Laqueumque prædæ, vasta culpat cornua.
Quod obesse reris, sæpe id auxilium feret.

Περὶ ἀλώπεκος καὶ σταφυλῆς.

Κερδὼ βότρυν βλέπουσα μακρᾶς ἀμπέλου·
Πρὸς ὕψος ἥρτο, καὶ καμοῦσα πολλάκις
Ἑλεῖν, ἀπεῖπε. πρὸς δ' ἑαυτὴν ταῦτ' ἔφη,
Μὴ κάμνε, ῥᾶγες ὀμφακίζουσιν μάλα.
ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνάγκην φιλοτιμίαν.

Περὶ κόρακος καὶ ἀλώπεκος.

Τυρὸν κόραξ ἔδακνε, κερδὼ δ' ἠπάτα,
Εἰ γλῶσσαν εἶχες, ζηλωτὸς ἦς ὄρνις μέγας.
Εὐθὺς δ' ὁ τοῦτον ῥίψεν, ἡ δ' αὐτὸν φάγεν.
Ἔχεις κόραξ ἅπαντα, νοῦν κτῆσαι μόνον.
ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. πρὸς τοὺς ἐπὶ κολακείας χαίροντας.

Περὶ βατράχων καὶ ἡλίου.

Γάμοις ἔχαιρον βάτραχοι τοῦ ἡλίου,
Καί τις πρὸς αὐτοὺς εἶπεν, ὦ δειλὸν γένος.
Εἰ γὰρ μόνας τρέμομεν αὐγὰς ἡλίου,
Τίς εἰ γε τεκνώσειε, τοῦτον βαστάσει;
ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς ἐπὶ ἰδίᾳ βλάβῃ ἀγνωστίας χαίροντας.

Περὶ ὄρνιθος ᾠὸν χρυσοῦν τικτούσης, καὶ φιλαργύρου.

Ἔτικτε χρυσοῦν ᾠὸν ὄρνις εἰσάπαξ.
Καί τις πλανηθεὶς χρυσεραστὴς τὴν φρένα,
Ἔκτεινε ταύτην, χρυσὸν ὡς λαβεῖν θέλων.
Ἐλπὶς γὰρ μεῖζον δῶρον ὤλεσε τύχης.
ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. πρὸς τοὺς ἐλπίδι κέρδους εἰς ζημίαν
ἐκ μικροψυχίας ἐμπίπτοντας.

Περὶ ἀστεροσκόπου καὶ ὁδοιπόρου.

Ἄστροις περισκοπῶν τις ἀστροσκόπος,
Πίπτει λαληθεὶς πρὸς φρέαρ. τυχὼν δέ τις

Ὁδοι-

De Vulpe & Vua.

Vulpes racemum Vitis altæ contuens,
Eum vt voraret erigit ſeſe in pedes;
Fruſtra. ergo feſſa dat ſibi hoc ſolatium:
Deſiſte, paret Vua acerba ſcilicet.
Velit voluntas quod iubet neceßitas.

Coruus & Vulpes.

Vulpes voranti caſeum Coruo, Heus, ait,
Si vox tibi eſſet, magni auis fores Iouis.
Abiecit ille caſeum: excepit cata.
Tibi ſunt abunde cuncta, Corue; mens deeſt.
Fallere ſi credas adulatoribus.

De Ranis & Sole.

Gaudere Solis ceperant ob nuptias
Ranæ. ſed aliquis increpat, Demens genus!
Timemus, inquit, vnici Solis iubar:
Si liberos crearit, illum quis feret?
Ferale propriis gaudium imprudens malis.

Gallina auripara & Auarus.

Gallina cum edidiſſet aureum ſemel
Ouum, metalli percitus quidam fame,
Ratus refertam auro, peremit alitem.
Sed grandius ſpes perdidit munus deum.
In certa timidos damna ſpes lucri trahit.

Aſtroſcopus & Viator.

Chaldæus aſtra intentior conſiderans
Ignarus in foſſam incidit. ſuperuenit

Viator,

Ὁδοιπόρος, ξένοντι ταῦτ' ἔφη λέγων,
Νοῦν θεὶς ἄνω, βέλτιστε, τὴν γῆν οὐ βλέπεις;

ΕΠΙΜ. ὅτι πολλοὶ τὰ ἐνεστῶτα μὴ γινώσκοντες, τὰ μέλλοντα καυχῶνται γινώσκειν.

Περὶ ἵππου καὶ κάπρου.

Ἤριζεν ἵππος ἀγχιωτάτῳ κάπρῳ,
Ὁρμὴν δὲ θηρὸς ἵππος οὐ σθένων ὅλως,
Ἑαυτὸν ἐξέδωκεν, αἴρων σύμμαχον
Ἔμπειρον ἄνδρα πρὸς σφαγὴν τοῦ θηρίου.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὅτι δι' ἔχθραν τινὲς καὶ εἰς δουλείαν ἑαυτοὺς ἐμβάλλουσιν.

Περὶ ἀνδρὸς μιξόθριχος, καὶ δυοῖν ἑταίραιν.

Ἐρωμένας δύ' εἶχεν ἀνὴρ μιξόθριξ,
Πάντῃ χρόνῳ διενηνοχυῖαι καὶ τρόπῳ
Ἡ μὲν μελαίνας, ἡ δὲ λευκὰς, ἔκφερον,
Ἐξ ὧν ψιλωθεὶς, πᾶσιν ὠράθη γέλως.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. πρὸς τοὺς εἰς δύο ἐναντία πράγματα ἑαυτοὺς ἐμβάλλοντας.

Περὶ ἀετοῦ τε καὶ κολοιοῦ.

Ἀρνὸν καταπτὰς ἀετὸς καθήρπασεν.
Ἰδὼν κολοιὸς, ἐν πείρᾳ πρᾶξις τάδε,
Ὀνεῖλε ποιμήν. παῖς δ' ἐφώνει τοῦτό τι,
Ἐμοὶ κολοιὸς, ἀετὸς δ' αὐτῷ πέλει.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ. ὅτι οὐ δεῖ μιμεῖσθαι τοὺς κρείττονας.

Περὶ κολοιοῦ τε καὶ ἄλλων ὀρνέων.

Ἀλλοτρίοις πτεροῖσιν ἠμφιεσμένος,
Ηὔχει κολοιὸς ὀρνέων ὑπερφέρειν.
Πρῶτον δὲ δῶρον ἡ χελιδὼν ἥρπακε,
Μεθ' ἣν ἅπαντες, εἶτα γυμνὸς εὑρέθη.

ΕΠΙΜ. ὅτι τὸ ἐξ ἑτέρου κάλλος διαλύεται.

Viator, & triste eiulanti sic ait:
Tendens in alta, amice, terram non vides?
Cupidus futuri fit rudis præsentium.

Equus & Aper.

Pugnam Caballus cum feroci Apro serens,
Vltra truci resistere impar belluæ,
Pugnæ perito subdidit sese viro,
Domiturus immanem eius auxilio feram.
Vindicta misera est seruitutem quæ parit.

De Viro misticapillo & duabus Amicis.

Ætate iam prouecta Amicas Vir duas
Habebat, annis multum at illas dispares.
Canos capillos vulsit hæc ei, hæc nigros:
Ludibrium sic cuique caluus debuit.
Ne te duobus ingeras contrariis.

Aquila & Monedula.

Aquila superne raptat agnum deuolans:
In ariete experitur id Monedula.
Capit sed ipsam pastor. inclamat puer.
Aquila hæc sibi sit; est mihi Monedula.
Præstantiorum inefficax imitatio.

De Cornicula & ceteris Auibus.

Ornata pennis non suis Cornicula,
Præ ceteris se iactitat Volucribus.
Sed mutuum repetente prima hirundine
Reliquæ sequuntur: illa nuda constitit.
Collatione pulcritudo soluitur.

De

Περὶ ἀετοῦ τε καὶ οἰστοῦ.

Βέλει τὸ στῆθος ἀετὸς ῥωσθὴ πάλαι,
Αλγῶν δὲ λοιπὸν ἦστο πολλὰ δακρύων.
Βλέπων δ' οἰστὸν εἶπεν ἐπτερωμένον,
Βαβαὶ, πτερόν με τὸ πτερωτὸν ὀλλύει.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς ἐκ τῶν ἰδίων κακῶς πάσχοντας.

Περὶ θηρῶν καὶ ὀρνέων μάχης καὶ στρουθοῦ.

Πᾶσι πεφύκει θηρσὶ καὶ πτηνοῖς μάχη,
Ηλωλίβυσσα στρουθὸς, ἣ τοὺς δ' ἔπλανα,
Εἶναι μὲν ὄρνις, ἐκ μέρους δὲ θηρίον,
Πτηνοῖς κέρας δεικνῦσα, τοῖς θηρσὶ πόδας.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς δυσὶ κυρίοις δουλεύοντας, καὶ πλανῶντας ἀμφοτέρους.

Περὶ χελιδόνος καὶ κριτηρίου.

Πῆξε χελιδὼν νεοσσιὰν κριτηρίου
Τἄνθεν, ὅπερ τὴν γονὴν βλάπτει δράκων.
Η δ' αὖτ' ἔφησεν, ὦ πολυστόνου τύχης,
Οπου γὰρ ἐνδίκησις, ἐβλάβην μόνη.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς παθόντας κακὸν ἀπὸ καλῶν ἀνθρώπων.

Περὶ τριῶν βοῶν ὁμοφώνων, εἶτα ἀσυμφώνων καὶ λέοντος.

Ομόφρονες νέμοντο τρεῖς ὁμοῦ βόες,
Οὓς οὐδὲ θὴρ ἔβλαπτε πολλάκις λέων.
Εχθρας δὲ μίσει, καὶ μάχης διαχίσας,
Εκαστον ἐκβέβρωκε γυμνὸν ὡς ἕνα.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς σχιζομένους ἐκ τῶν ἰδίων, καὶ διὰ τοῦτο κακῶς πάσχοντας.

Περὶ γεωργοῦ καὶ γεράνου.

Εθνει γεράνων πῆξέ τις σπορεὺς πάγην.
Μεθ' ὧν πελαργὸν εἷλεν, ὃς θρήνει μέγα.

Εφη

De Aquila & Sagitta.

Pectus Sagitta sauciata Ales Iouis,
Grauem ob dolorem considebat lacrymans.
Pennatam vbi autem conspicit Sagittam, Eheu
Pennatam, ait, mene ergo penna perdidit?
Paßim periclum est: fide ne nimium tuis.

De pugna inter Feras & Volucres, & Struthiocamelo.

Inter Feras flagrante bello & Alites,
Passer prahensus fallit illas Africus.
Auem haud negans se, sed simul dicens Feram,
Feræ pedes testatur, Alitis caput.
Vtrumque fallunt qui duobus seruiunt.

De Hirundine & Prætorio.

Nido exstruendo elegerat Prætorium
Hirundo: pullos eius hic necat draco.
Tunc illa; Proh præposteram sortis vicem!
Iustitiæ in ipso vt sola asylo læderer!
Dictum est in illos queis nocent ipsi boni.

De dissuta trium Boum concordia, & Leone.

Dum triga concors constat insimul Boum
Non lædere illam vel ferus valet Leo.
Hostiliter mox hisce dißidentibus,
Facile seorsim quemque eorum deuorat.
Vincuntur omnes singulis pugnantibus.

Agricola & Ciconia.

Gruibus tetendit Rusticus laquei dolum.
Ciconia hoc detenta lugebat graue.

Agricola

Εφη δ' ἀροβδὸς, ὡς φίλος μὲν εἶ σύ μοι.
Αλλ' ἡ πάγη λαβοῦσα, σὺν κακοῖς σ' ἔχει.

ΕΠΙΜ. πρὸς φίλον τινὸς, ἑνούμενον τοῖς ἐχθροῖς τοῦ φίλου αὐτοῦ.

Περὶ κυνὸς καὶ εἰδώλου αὐτοῦ ἐν τῷ ὕδατι.

Φέρων ποταμοῦ πλησίον κύων κρέας,
Κύψας ἑαυτὸν, ἄλλον εἰς ὕδωρ βλέπει.
Χανὼν δὲ λοιπὸν τοῦ κάτω λαβεῖν κρέας,
Απεστερεῖτο καὶ τοῦ, οὗ περ ἐκράτει.

ΕΠΙΜ. ὅτι ὁ πλεονεκτῶν μᾶλλον ζημιοῦται.

Περὶ ὄνου καὶ ἁλὸς καὶ σπόγγων.

Περῶν ποταμὸν, φόρτον ἦγ' ἁλὸς ὄνος,
Εν ᾧ τε καὶ πέπτωκε κουφισθεὶς βάρος.
Σπόγγων δ' ἔπειτα πλῆθος οὕτως ὡς φέρειν,
Πεσὼν ἑκοντὶ, δυστυχῶς ἀπεπνίγη.

ΕΠΙΜ. ὅτι πολλάκις προσδοκία κέρδους, εἰς ζημίαν καταντᾷ.

Περὶ καμήλου καὶ Διός.

Κυρτὴ θεὸν κάμηλος ἐζήτει κέρα,
Ην ἐξεμυκτήρισε τῆς ἀβουλίας.
Ζημοῖ γὰρ αὐτὴν λοιπὸν, ὦτα καὶ κάραν,
Ως ἄν γε παντάπασιν αἰσχίστη πέλῃ.

ΕΠΙΜ. ὅτι δεῖ παρὰ τοῦ θεοῦ αἰτεῖν τὰ προσήκοντα.

Περὶ λύκου καὶ ἀρνός.

Λύκος πρὸς ἄρνα φησὶν, οὐ πρόσθεν σύ μοι
Υδωρ ταράττεις; ἄρτι γαστρὸς ἐξέφυν,
Καὶ πῶς ὕδωρ τάραττον ἀγνοῶ πότε.
Θοίνη γένῃ μοι, κἂν θέμις, κἂν μὴ θέμις.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς ἀδίκως φανερῶς ἀδικοῦντας.

Agricolæ captæ, Amica tu quidem es mihi:
Sed te quoque iste cum malis laqueus putat.
In amicum, amici qui fauebit hostibus.

De Cane, & imagine ipsius in aqua.

Carnem propinquus flumini Canis ferens,
Aliam videre sese in vndis credidit:
Quare ora pandens nisus illam prendere,
Amisit ipsam, quam tenebat dentibus.
Plura adpetenti tollitur vel quod tenet.

De Asino, & Sale, & Spongiis.

Sale multo onustus flumen altum permeans
Asellus, onere, forte lapsus, soluitur.
Idem deinde spongias dorso gerens,
Prolapsus vltro, extinguitur sub pondere.
Imago lucri in damna sæpe pellicit.

Camelus & Iupiter.

A Ioue Camelus flagitabat cornua
Incurua. risit ille stultitiem feræ.
Quin minuit ipsi cetera, aures & caput,
Vt vndequaque sic foret turpissima.
Deos rogare dedecet quæ dedecent.

Lupus & Agnus.

Tu vero es, Agno inquit Lupus, qui nupere
Turbasti aquas! E ventre vix dum prodij;
Qui fecerim tibi id quod inquis nupere?
Mihi at esto cœna, iure siue iniuria.
Palam nocebit, si color desit, malus.

Περὶ δειλοῦ κυνηγοῦ καὶ ποιμένος.

Δειλὸς κυνηγὸς πρός τιν' εἶπε ποιμένα,
Εἴ που λέοντος ἴχνος εἶδες, μοὶ φράσον.
Σοὶ τοῦτον, εἶπεν, εἰ θέλεις δείξω πέλας.
Ἴχνος, κυνηγὸς εἶπεν, οὐ ζητῶ πλέον.

ΕΠΙΜ. πρὸς ἀνθρώπους θρασεῖς πρὸς λόγους, καὶ πρὸς ἔργα δειλούς.

Περὶ ἱππότου καὶ ἀγροίκου.

Ἤτει λαβεῖν ἄγροικον ἱππότης λαγών.
Λαβὼν δὲ χερσὶ τοῦτον, ἠρώτα, πόσου;
Καὶ πῶλον ἐξήλαυνεν. ἀγροῖκος δ' ἔφη,
Μὴ σπεῦδε, σοὶ δώρημα τοῦτο προσφέρω.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς ἐξ ἀνάγκης παραιτουμένους τὰ ἴδια.

Περὶ λύκου καὶ ὄνου.

Ὀξεῖαν ἧλον εἷλεν ἐξ ὄνου λύκος.
Αἰτεῖ δὲ μισθὸν, πλήττεται λὰξ τὴν γένυν.
Λύκος δέ φησι, πῶς μάγειρος ὢν πάλαι
Ἰατρικῆς μετῆλθον ἔργ' ἀναξίως;

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς τὴν ἰδίαν τέχνην καταλιμπάνοντας, καὶ ἑτέραν μετερχομένους ἐπὶ βλάβῃ.

Περὶ λύκου καὶ γεράνου.

Εἰς λαιμὸν ὀστοῦν ἐμπεπήγει τοῦ λύκου,
Μισθῷ δ' ἑλὼν γέρανος, ἤτει τὴν χάριν.
Σῶον τράχηλον ἐκ λύκου λαιμοῦ φέρων,
Μηδ' ἄλλο μηδὲν μισθὸν ἢ τοῦτο σκόπει.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς ἐπικίνδυνον πρᾶξιν ἐγχειρήσαντας, καὶ κατὰ τὸ σύνθημα ζητοῦντας μισθόν.

Περὶ ταύρου καὶ τράγου.

Ἤλαυνε ταῦρον ἐξ ἑῆς κοίτης τράγος.
Ὃν θὴρ λέων δίωκεν, εἶπε δὲ στένων,

Εἰ-

Venator timidus, & Paſtor.

Timidus Bubulcum ſponte Venator rogat,
Noſtin' Leonis vſpiam veſtigium?
Ipſum videbis, ſi voles, e proximo.
Veſtigium, Venator, haud quæro amplius.
Non verba præſtant, facta præſtant ſtrennuum.

Eques & Agricola.

Leporem petenti Militi Agricola exhibet:
Attollit ille, luſtrat, & pretium rogat;
Poſt incitato equo fugit. tum Ruſticus,
Properare noli; munus hoc dono tibi.
Seruare quod nequis, vel vltro id abnue.

Lupus & Aſinus.

Extraxit Aſino dentibus clauum Lupus;
Petitur aſelli calce, mercedis vicem.
Quo mens mihi, inquit, eſſe qui ſoleo coquus,
Tam derepente vt medicus eſſe poſtulem?
Ex arte in artem inutilis mutatio.

Lupus & Grus.

Lupi voracis gutturi os inhæſerat:
Grus extrahit, pactumque præmium petit.
Collum e lupino gutture illæſum refers:
Hæc vna merces: neç parum hoc exiſtimes.
Periculo euaſiſſe per ſe præmium eſt.

Taurus & Hircus.

Fugiens leonem Taurus, inſimul ſuum
Cubile cedit Hirco, & addit ingemens,

Εἴπερ με μὴ λέοντος ἐπτόει φόβος,
Εγνως ὅσον ταῦρος τε καὶ τράγος σθένος.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς καταδεχομένους ὕβρις ἐκ τῶν ὑπὸ μικρῶν, διὰ φόβον ἑτέρων μειζόνων.

Περὶ μύρμηκος καὶ τέττιγος.

Ητει βορὴν μύρμηκα τέττιξ ἐν κρύει.
Μύρμηξ δ' ἔφησε, τί θέρους ὄντος ἔδρας;
Ως ἐν θέρει εἴρηκεν ᾖδον ὀξέως.
Χειμῶνος ὀρχοῦ, φησι, μὴ βορῆς ἔρα.

ΕΠΙΜ. πρὸς τοὺς μὴ θέλοντας ἐν νεότητι κοπιᾶν, καὶ διὰ τοῦτο ἐν τῷ γήρᾳ πτωχεύοντας.

Περὶ ὄφεως καὶ γεωργοῦ.

Εθαλπέ τις γεωργὸς ἐν κόλποις ὄφιν
Ωρᾳ κρύους· ἐπεὶ δὲ θέρμης ᾔσθετο,
Επληξε τὸν θάλψαντα, κἀκτεῖνε τάχος.
Οὕτω κακοὶ ποιοῦσι τοὺς εὐεργέτας.

Περὶ χελιδόνος καὶ ἀηδόνος.

Αγροῦ χελιδὼν μακρὰν ἐξεπωτήθη,
Εὗρε δ' ἐρήμοις ἐγκαθημένην ὕλαις
Αηδόν' ὀξύφωνον. ἡ δ' ἀπεθρήνει
Τὸν Ἴτυν, ἄωρον ἐκπεσόντα τῆς ὥρης.
Χ' ἡ μὲν χελιδὼν φησι, φιλτάτη ζώοις,
Πρῶτον βλέπω σε σήμερον μετὰ Θρᾴκην.
Αλλ' ἐλθ' ἐς ἀγρὸν, καὶ πρὸς οἶκον ἀνθρώπων.
Σύσκηνος ἡμῖν, καὶ φίλη κατοικήσεις,
Οπου γεωργοῖς, κοὐχὶ θηρίοις ᾄσεις.
Τὴν δ' αὖτ' ἀηδὼν ὀξύφωνος ἠμείφθη,
Εα με πέτραις ἐμμένειν ἀοικήτοις.
Οἶκος δέ μοι πᾶς, ἤτε μίξις ἀνθρώπων,
Μνήμην παλαιῶν συμφορῶν ἀναφλέξει.

ΕΠΙΜ. ὁ μῦθος δηλοῖ, ὅτι κρεῖττον ἐν ἐρήμοις ζῆν ἀλύπως, ἢ συνοικεῖν ἐν πόλεσι τοῖς κακοῖς.

ΗΣΙΟ-

Ni me leonis mente percellat metus,
Scias ſtatim quid Taurus Hirco interſiet.
Minima extimenda maior efficit timor.

Formica & Cicada.

Hieme cibatum implorat a Formicula
Cicada. quærit hæc, quid æſtate egerit.
Aſt illa acutum cantitaſſe ſe refert.
Nunc ergo ſalta, nec cibum quæſiueris.
Senem iuuentus pigra mendicum creat.

De ſerpente & Agricola.

Anguem rigentem frigore in ſinu diu
Agricola fouit. is refectis viribus
Calore, vitæ pupugit auctorem ſuæ.
Hæc in beneficum gratitudo eſt improbi.

Hirundo & Luſcinia.

E prædio prouecta Hirundo rureſtri,
Procul remotis abditam inuenit ſiluis
Philomelam, ibidem voce querquera flentem
Triſti ante fata raptum Ityn ſibi fato.
Cui ſic Hirundo: Amica plurimum ſalue,
Iam poſt relictos viſa primitus Thracas:
Humana tandem ſed, precor, ſubi tecta,
Conſorſque mecum grata limina intrato,
Ne ſuaue ſolis belluis canas melos.
Philomela contra acutiore concentu:
Permitte petris me manere deſertis.
Domus mihi omnis, viſus omnis humanus,
Malum reducit omne priſtinum menti.
Semota curis vita ruris exculti
Pleno laborum præſtat vrbico victu.

ΗΣΙΟΔΟΥ

αἶνος

περὶ ἴρηκος καὶ ἀηδόνος

νῦν δ' αἶνον βασιλεῦσ' ἐρέω, φρονέουσι καὶ αὐτοῖς.
ὧδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον,
ὕψι μάλ' ἐν νεφέεσσι φέρων ὀνύχεσσι μεμαρπώς.
ἡ δ' ἐλεὸν γναμπτοῖσι πεπαρμένη ἀμφ' ὀνύχεσσι
μύρετο. τὴν δ' ὅγ' ἐπικρατέως πρὸς μῦθον ἔειπε·
δαιμονίη, τί λέλακας; ἔχει νύ σε πολλὸν ἀρείων.
τῇ δ' εἶς ᾗ σ' ἂν ἐγώπερ ἄγω, καὶ ἀοιδὸν ἐοῦσαν.
δεῖπνον δ' αἴκ' ἐθέλω ποιήσομαι, ἠὲ μεθήσω.
ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν,
νίκης τε στέρεται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.
ὣς ἔφατ' ὠκυπέτης ἴρηξ, πανυσίπτερος ὄρνις.

Ἀδήλου Ἐπίγραμμα

εἰς

βοῦν καὶ τράγον,

ἐπὶ πίνακος ἀργυροῦ ἐγκεκολαμμένον.

πῶς βοῦς ὑπάρχων αὔλακας γῆς οὐ τέμνεις,
ἀλλ' ὡς πάροινος ἀγρότης ἀνεκλίθης;
πῶς οὐχὶ καὶ σὺ πρὸς νομὰς ἀποτρέχεις,
ἀλλ' ἀργυροῦν εἴδωλον ἕστηκας τράγε;
ἕστηκας τὴν σὴν ἐξελέγχων ἀργίαν.

HESIO-

HESIODI

Apologus

De Accipitre & Luscinia,

Interprete Vlpio Franekenensi.

NVNC *age principibus referam, doctis licet ipsis,*
Fabellam. Accipiter sic paruam ad Aedonā dixit,
Alta in nube ferens, conuellensq; vnguibus atris.
Hæc misere eluxit curua lacerata sub vngue.
At fuit Accipitri vox illa tyrannica diro:
Quid garris demens? nunc longe fortior in te
Ius habet, hac tibi cantrici, quà duco, sequendum.
Nunc mihi si placeat, tibi parcam, aut cœna futura es.
Stultus, maiori cupiens contendere contra,
Vincitur, atque ignominiam cum clade reportat.
Sic ait Accipiter, sulcans celeri aera penna.

Ignoti Epigramma

in

Bouem & Hircum,

tabulæ argenteæ insculptum.

TERRAM *quid, o bos, negligens proscindere,*
Vecors reclinas tanquam arator ebrius?
Et tu quid vltro haud curris hinc in pascua;
Simulacrum at hirce stas iners argenteum?
Sto, monitor vt tuam reprendam ignauiam.

APOLOGI
HORATIANI.

Mus Rusticus, & Mus Vrbanus.

SERVIVS *hæc inter vicinus garrit aniles*
Ex re fabellas. nam si quis laudat Arelli
Sollicitas ignarus opes, sic incipit. Olim
Rusticus Vrbanum Murem Mus paupere fertur
Accepisse cauo, veterem vetus hospes amicum,
Asper, & attentus quæsitis, vt tamen arctum
Solueret hospitiis animum. quid multa? neque ille
Sepositi ciceris, nec longæ inuidit auenæ:
Aridum & ore ferens acinum, semesaque lardi
Frusta dedit, cupiens varia fastidia cœna
Vincere tangentis male singula dente superbo,
Cum pater ipse domus palea porrectus in horna,
Esset ador, loliumque, dapis meliora relinquens.
Tandem Vrbanus ad hunc, Quid te iuuat, inquit, amice
Prærupti nemoris patientem viuere dorso?
Vis tu homines, vrbemque feris præponere siluis?
Carpe viam, mihi crede, comes: terrestria quando
Mortales animas viuunt sortita, neque vlla est
Aut magno, aut paruo, lethi fuga. quo, bone, circa
Dum licet, in rebus iucundis viue beatus:
Viue memor quam sis æui breuis. Hæc vbi dicta
Agrestem pepulere; domo leuis exilit. inde
Ambo propositum peragunt iter, vrbis auentes
Mœnia nocturni subrepere. iamque tenebat
Nox medium cœli spatium, cum ponit vterque
In locuplete domo vestigia: rubro vbi cocco

Tincta

Tincta super lectos canderet vestis eburnos:
Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quæ procul exstructis inerant hesterna canistris.
Ergo vbi purpurea porrectum in veste locauit
Agrestem, veluti succinctus cursitat hospes,
Continuatq; dapes; nec non vernaliter ipsis
Fungitur officiis, prælambens omne quod affert.
Ille cubans gaudet mutata sorte, bonisque
Rebus agit lætum conuiuam, cum subito ingens
Valuarum strepitus lectis excussit vtrumque.
Currere per totum pauidi conclaue, magisque
Exanimes trepidare, simul domus alta molossis
Personuit canibus. Tum Rusticus, Haud mihi vita
Est opus hac, ait: & valeas. me silua, cauusque
Tutus ab insidiis tenui solabitur eruo.

Vulpes & Leo.

Quod si me populus Romanus forte roget, cur
Non, vt porticibus, sic iudiciis fruar iisdem;
Non sequar, ac fugiam, quæ diligit ipse, vel odit:
Olim quod Vulpes ægroto cauta Leoni
Respondit, referam, Quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.
Bellua multorum es capitum. ———

Cornicula.

Quid mihi Celsus agit? monitus, multumque monendus,
Priuatas vt tangat opes, & tangere vitet
Scripta Palatinus quæcunque recepit Apollo:
Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex auium plumas, moueat Cornicula risum,
Furtiuis nudata coloribus. ———

Vulpes & Muſtela.

Forte per anguſtam tenuis Vulpecula rimam
Repſerat in cumeram frumenti, paſtaque rurſus
Ire foras pleno tendebat corpore fruſtra.
Cui Muſtela procul, ſi vis, ait, effugere iſtinc,
Macra cauum repetes arctum, quem macra ſubiſti.
Hac ego ſi compellar imagine cuncta reſigno:
Nec ſomnum plebis laudo ſatur altilium, nec
Otia diuitiis Arabum liberrima muto.

Ceruus & Equus.

——— Fuge magna. licet ſub paupere tecto
Reges & Regum vita pracurrere amicos.
Ceruus Equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo,
Implorauit opes hominis, frenumque recepit.
Sed poſtquam victor violens diſceſſit ab hoſte,
Non equitem dorſo, non frenum depulit ore.
Sic qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternum, quia paruo neſciet vti.

Coruus.

Sed tacitus paſci ſi poſſet Coruus, haberet
Plus dapis, & rixa multo minus inuidiæque.

Planus.

Brunduſium comes, aut Surrentum ductus amenum,
Qui queritur ſalebras, & acerbum frigus, & imbres,
Aut ciſtam effractam & ſubducta viatica plorat;
Nota refert meretricis acumina, ſæpe catellam

Sæpe

Sæpe periſcelidem raptam ſibi flentis, vti mox
Nulla fides damnis, veriſque doloribus adſit.
Nec ſemel irriſus triuiis attollere curat
Fracto crure Planum: licet illi plurima manet
Lacryma: per ſanctum iuratus dicat Oſirim,
Credite: non ludo: crudeles tollite claudum.
Quære peregrinum: vicinia tota reclamat.

Mons parturiens.

Nec ſic incipies, vt ſcriptor cyclicus olim:
Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum.
Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?
Parturient Montes, naſcetur ridiculus Mus.

Recte viuendi dilator.

Dimidium facti, qui cæpit, habet. Sapere aude:
Incipe. viuendi qui recte prorogat horam,
Ruſticus expectat dum defluat amnis; at ille
Labitur, & labetur in omne volubilis æuum.

ΑΙΝΙΓΜΑΤΑ

τινα

ποιητῶν παλαιῶν.

ἐνιαυτός.

Εἷς ὁ πατὴρ, παῖδες δυοκαίδεκα. τῶν ἄρ ἑκάστων
παῖδες τριήκοντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι.
αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι.
ἀθάνατοι δέ τ' ἐοῦσαι, ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.

Εὐνοῦχος σπαδὸς ὢν νυκτερὶν ἐπὶ νάρθηκος καθημένην
κισσήρει ἀποχαζόμενος βαλών.

αἶνός τις ἐστὶν, ὡς ἀνήρ τε κ' οὐκ ἀνὴρ
ὄρνιθα κ' οὐκ ὄρνιθ' ἰδών τε κ' οὐκ ἰδὼν
ἐπὶ ξύλου τε κ' οὐ ξύλου καθημένην
λίθῳ τε κ' οὐ λίθῳ βαλεῖ τε κ' οὐ βαλεῖ.

χαλκήϊον.

ἔνθ' ἄνεμοι πνείουσι δύο κρατερῆς ὑπ' ἀνάγκης,
καὶ τύπος ἀντίτυπος, καὶ πῆμ' ἐπὶ πήματι κεῖται.

φθεῖρες.

ὅσ' ἕλομεν λιπόμεσθ', ὅσ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.

νιόβη.

ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν·
ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον·
ἀλλ' αὐτὸς αὐτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.

ÆNIGMATA
aliquot
Poëtarum veterum.

Annus. interprete L. Gyraldo.

Est vnus genitor cuius sunt pignora bis sex:
His quoque triginta natæ; sed dispare forma,
Aspectu hinc niueæ, nigris sunt vultibus inde:
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Eunuchus strabo vespertilionem ferulæ insidentem pumice petens.

Vir non vir, vt fertur vetusto ænigmate,
Auem sedentem non auem lignum super
Superque non lignum, videns & non videns,
Ferit lapillo non lapillo, & non ferit.

Officina æraria. interprete H. St.

Hic duo flant venti vi peruehemente coacti,
Et typus antitypus, noxa & super indita noxa.

Pediculi. interprete Xylandro.

Non capta afferimus, cunctis quæ capta relictis.

Niobe. interprete Iul. Cæs. Scaligero.

Illud sepulcrum non habet cadauer:
Illud cadauer non habet sepulcrum:
Sed est sibi cadauer & sepulcrum.

Io-

ἰοκάστη.

γρᾶτο δ' ἄναξ ἔνθα δύστηνος διπλοῦς
ἐξ ἀνδρὸς ἄνδρας, καὶ τέκν' ἐκ τέκνων τέκοι.

ἑπτὰ καὶ πέντε.

ἡμίονος καὶ ὄνος φορέουσαι οἶνον ἔβαινον.
αὐτὰρ ὄνος στενάχιζεν ἐπ' ἄχθεϊ φόρτου ἑοῖο.
τὴν δὲ βαρυστενάχουσαν ἰδοῦσ' ἐρέεινεν ἐκείνη,
μῆτερ, τί κλαίουσ' ὀλοφύρεαι ἠΰτε κούρη;
εἰ μέτρον ἕν μοι δοίης, διπλάσιον σέθεν ᾖρα.
εἰ δ' ἓν ἀντιλάβοις, πάντως ἰσότητα φυλάξεις.
εἰπὲ τὸ μέτρον ἄειστε γεωμετρίης ἐπίϊσορ.

οἶνος.

Ην ὅτε σὺν λαπίθῃσι καὶ ἀλκίμῳ ἡρακλῆϊ
κενταύρους διφυεῖς ὤλεσα μαρναμένους.
Ην ὅτε μουνογένεια κόρη θάνεν ἐν ῥισὶ πληγαῖς
ἡμετέραις, κρονίδην δ' ἤναχον εἰνάλιον.
Νῦν δέ με μοῦνα τρίτη πνείναις νύμφαισι μιγέντα
δέρκεται ὑελίνῳ κείμενον ἐν δαπέδῳ.

ἔσοπτρον.

ἄν μ' ἐσίδῃς, καὶ ἐγώ σε. τύ με βλεφάροισι δέδορκας·
ἀλλ' ἐγὼ οὐ βλεφάροις. οὐ γὰρ ἔχω βλέφαρα.
ἂν δ' ἐθέλῃς, λαλέω φωνῆς δίχα. σοὶ γὰρ ὑπάρχει
φωνή, ἐμοὶ δὲ μάτην χείλε' ἀνοιγόμενα.

φοινικοβάλανος.

οὔνομα μηρὸς ἔχω. γλυκερώτερος εἰμὶ τεκούσης.
ἀλλ' ἡ μὲν δολιχή, τυτθὸς ἐγὼ δὲ πέλω.
ἄβρωτος κείνη, πλὴν κράατος· εἰμὶ δ' ἔγωγε
βρωκτὸς ἅπας, μοῦνα δ' ἔντερ' ἄβρωτα φέρω.

κινα-

Iocasta.

Defletque thalamos misera, queis peperit sibi
Sponsum e marito, liberosque e liberis.

Quinque & Septem.

Vinum olim Mulus, vinum quoque Asella ferebat.
Verum hæc cum multo gemeret sub pondere fessa,
Lugentem tali aggreditur affamine Mulus:
Quid, mater, teneræ lacrymaris virginis instar?
Vnam trade mihi mensuram, duplum ego tollam:
Aut sume vnam a me, par mecum pondus habebis.
Fare Geometra: Quot mensuras quisque gerebat?

Vinum.

Quondam ego cum Lapithis fortique Alcide, peremi
Centaurum pugnax semiferumque genus:
Et trino nostro nata occidit vnica ab ictu:
A nobis ponti contremuitque deus:
At caldis mixtum Musarum tertia nymphis
Nunc recubum vitreo conspicit in solio.

Speculum.

Te contra adspiciam si tu me adspexeris. at tu
Id facies oculis. non ego: nam careo.
Sique voles, sine voce loquar. tibi suppetit illa:
Labra ego cum nullo cludo recludo sono.

Palmula.

Nomen idem cum matre gerens, sum dulcior illa.
Rursus parua ego sum: magna sed illa cluet.
Mater edi haud facilis, præter caput: vnica demas
Intestina mihi, cetera vesca dabo.

Cina-

κινάρα.

ἐγκέφαλον φορέω κεφαλῆς ἄτερ. εἰμὶ δὲ χλωρὴ
αὐχένος ἐκ δολιχοῦ γῆθεν ἀειρομένη.
σφαίρῃ δ' ὡς ὑπὲρ αὐλὸν ἐρείδομαι. ἢν δὲ ματεύσῃς
ἔνδον ἐμῶν λαγόνων, μηρὸς ἔχω πατέρα.

δέλτος.

ὕλη μέν μ' ἔτεκεν, καὶ ἐκαινούργησε σίδηρος.
εἰμὶ δὲ μουσάων μυστικὸν ἐκδοχίον.
κλειομένη σιγῶ, λαλέω δ' ὅταν ἐκπετάσῃς με.
κοινωνὸν τὸν ἄρη μοῦνον ἔχουσα λόγων.

σφαῖρα.

λίνω ἔντριχός εἰμι, τὰ φύλλα δέ μου κατακρύπτει
τὰς τρίχας. ἡ δὲ τρύπη φαίνεται οὐδαμόθεν.
πολλοῖς παιδαρίοις ἐμπαίζομαι· εἰ δέ τις ἐστὶν
εἰς τὸ βαλεῖν ἀφυὴς, ἵσταται ὥσπερ ὄνος.

ἄνθρωπος.

ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς καὶ τέτραπον, οὗ μία φωνὴ,
καὶ τρίπον· ἀλλάσσει δὲ φύσιν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ κινεῖται ἀνά τ' αἰθέρα καὶ κατὰ πόντον.
ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐρειδόμενον ποσὶ βαίνῃ,
ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

νὺξ καὶ ἡμέρα.

εἰσὶ κασίγνηται διτταί. ὧν ἡ μία τίκτει
τὴν ἑτέραν· αὐτὴ δὲ τεκοῦσα τεκνοῦθ' ὑπὸ ταύτης.

ἐπιστολή.

ἔστι φύσις θήλεια βρέφη σώζουσ' ὑπὸ κόλποις
αὐτῆς· ταῦτα δ' ἄφωνα βοὴν ἵστησι γεγωνὸν,
καὶ διὰ πόντιον οἶδμα, καὶ ἠπείρου διὰ πάσης
οἷς ἐθέλει θνητῶν· τοῖς δ' οὐ παροῦσιν ἀκούειν

Cinara.

Nullum mi caput est: cerebrum tamen. alta virentem
E terra ceruix surgere sponte facit.
Vt globus in tereti consisto stipite. quare,
Matris habent in se viscera nostra patrem.

Codicillus.

E silua genitum me ferrum exinde poliuit.
Oracla excipio mystica Pieridum.
Occlusus sileo: si pandæ eloquar. vnus
Sermonis consors Mars solet esse mei.

Pila.

Tota capillata; at foliis occulto capillos:
Nec mea conspicuum membra foramen habent.
Multis sum lusus pueris. sed si quis ineptus
Proiicere est, stabit sicut asellus iners.

Homo. interprete Natali Comite.

Est bipes & quadrupes in terris: solaque vox huic:
Atque tripes: mutat naturam vnum omnia campis
Inter quæ serpunt, quæ cœlo & fluctibus errant.
Ast vbi contendit pedibus iam pluribus, illi
Deficiunt vires, & lentis robora neruis.

Nox & Dies. interprete L. Gyraldo.

Vna aliam gignit, geminæ sunt namque sorores;
Quæque prius genuit, mox rursus gignitur ipsa.

Epistola.

Feminea est natura sinu quæ pignora gestat,
Muta quidem, sed quæ possint claram edere vocem,
Perque mare vndisonum, perque omnia compita terræ,
Ad quoscunque volent: adeoque absentibus ipsis,

ἔξεισι, κωφὴν δ' ἀκοῆς αἴσθησιν ἔχουσιν.
θήλεια μὲν γοῦν ἐστι φύσις ἐπιστολή.
βρέφη δ' ἐν αὑτῇ περιφέρει τὰ γράμματα.
ἄφωνα δ' ὄντα ταῦτα τοῖς πόρρω λαλεῖ,
οἷς βούλεθ'. ἕτερος δ' ἂν τύχῃ τις πλησίον
ἑστὼς ἀναγινώσκοντος, οὐκ ἀκούσεται.

ἰξός.

. . . δρυὸς μ' ἱδρὼς
καὶ θαμνομήκης ῥάβδος, ἥτ' αἰγυπτίη
βόσκει λινοῦλκος χλαῖνα, θηραγρος πέδη.

σκιά.

τῆς φύσεως ὅσα γαῖα φέρει τροφὸς, οὐδ' ὅσα πόντος,
οὔτε βροτοῖσιν ἔχει γυίων αὔξησιν ὁμοίαν,
ἀλλ' ἐν μὲν γενέσει πρωτοσπόρῳ ἐστὶ μεγίστη·
ἐν δὲ μέσαις ἀκμαῖς μικρά· γήρᾳ δὲ πρὸς αὐτῷ
μορφῇ καὶ μεγέθει μείζων πάλιν ἐστὶν ἁπάντων.

πάππος ἀπ' ἀκάνθης.

οἶδ' ἐγὼ ὃς νέος ὢν ἐστὶν βαρὺς, ἂν δὲ γέρων ᾖ
ἄπτερος ὢν κοῦφος πέταται, καὶ γῆν ἀφανίζει.
πάππος ἀπ' ἀκάνθης. ἐστὶ γὰρ νέος μὲν ὢν
ἕστηκεν ἐν τῷ σπέρματι, ὅταν δ' ἀποβάλῃ
. . . . . τοῦτο, πέταται κοῦφος ὢν·
δήπουθεν ὑπὸ τῶν παιδίων φυσώμενος.

κοχλίας, ἤτοι στρόμβος.

ἤδη γάρ με κέκληκε θαλάσσιος οἴκαδε νεκρὸς
τεθνειὼς ζωῷ φθεγγόμενος στόματι.

κοχλίας.

ζῷον ἄπουν, ἀνάκανθον, ἀνόστεον, ὀστρακόνωτον,
ὄμματά τ' ἐκκύπτοντα προμήκεα κεἰσκύπτοντα.

τὸ

Quin etiam surdis audire loquentia detur.
Natura sane feminina Epistola est,
Quæ fœtuum instar gestat in se literas.
Mutæ hæ loquuntur, queis volunt, licet procul
Absentibus. cui non volent, nil audiat
Vel si legenti coram adesse fors ferat.

Viscus. interprete viro magno.

——— Sudor at me quercinus
Et longa virga pascit, atque Ægyptius
Lineus amictus, bestiarum compeda.

Vmbra. Interprete L. Gyraldo.

Naturæ quacunque parit tellus, neque pontus,
Nec similem membrorum auctum mortalibus affert:
Est hæc quando suo natali maxima primo:
Dum medius vigor est illi, parua: inque senecta
Redditur aspectu maior, proceraque rursus.

Pappus carduorum.

Noui ego qui grauior iuuenis, veniente senecta
Implumis leuior volet, & late obtegat arua.
Hic carduorum Pappus est, qui iunior
Cum semine ipso plantæ adhæret primitus.
Mox decidente semine euolat leuis,
Et maxime cum ludus est puellulis.

Cochlea. vel Buccinum. interprete L. Gyraldo.

Mortua conciuit pelagi de fluctibus orta,
Mortua quæ viuo me vocat ore domum.

Cochlea. eodem interprete.

Exos est animal, pedibusque sine, & sine spina,
Testea terga, oculos producens atque recondens.

 Eadem.

τὸ αὐτό.

ὑλογενὴς, ἀνάκανθος, ἀναίματος, ὑγροκέλευθος.

ἀπίλλων.

ἐν φανερῷ γενόμαν. πέριξ δέ μοι ἅλμυρον ὕδωρ
ἀμφὶς ἔχει, μήτηρ δ' ἔστ' ἀριθμοῖο πάϊς.

ὕπνος.

οὐ θνητὸς, οὐδ' ἀθάνατος, ἀλλ' ἔχων τινὰ
σύγκρασιν, ὥστε μήτ' ἐν ἀνθρώπου μέρει,
μήτ' ἐν θεοῦ ζῆν. ἀλλὰ φύεσθαί τ' ἀεὶ.
καινῶς φθίνειν τε. τὴν παρουσίαν πάλιν,
ἀόρατος ὄψιν, γνώριμος δ' ἅπασιν ὤν.

σικύας προσβολή.

ἄνδρ' εἶδον πυρὶ χαλκὸν ἐπ' ἀνέρι κολλήσαντα
οὕτω συγκόλλως, ὥστε σύναιμα ποιεῖν.

πρωκτός.

ἔστι λαλῶν ἄγλωσσος, ὁμώνυμος ἀρρενόθηλυς
οἰκείων ἀνέμων ταμίας· δασὺς, ἄλλοτε λεῖος·
ἀξυνέτ' ἀξυνέτοισι λέγων, νόμον ἐκ νόμου ἕλκων·
ἓν δ' ἐστὶν καὶ πολλὰ, καὶ ἂν τρώσῃ τις ἄτρωτος.
ὄντως γὰρ αὐτὸς ἐστὶν ἄγλωττος λάλος·
ἓν ὄνομα πολλοῖς· βρωτὸς ἄτρωτος· δασὺς
λεῖος· τί βούλει; πνευμάτων πολλῶν φύλαξ.

τράπεζα.

βίου τιθήνη, πολεμία λιμοῦ, φύλαξ
φιλίας, ἰατρὸς ἐκλύτου βουλιμίας.

χρόνος.

τί ταυτόν [ἐστιν] οὐδαμοῦ καὶ πανταχοῦ;

ψυχὰς ἔχειν.

τί πάντες οὐκ ἐπιστάμενοι διδάσκομεν;

πύκται.

πέντ' ἄνδρες δέκα ναυσὶ κατέδραμον εἰς ἕνα χῶρον·
οἱ δὲ λίθοις ἐμάχοντο, λίθον δ' οὐκ ἦν ἀνελέσθαι.

Eadem.

Siluigena, & leuis, sine sanguine, greßibus vda.

Apollo. interprete L. Gyraldo.

In claro natus, patriam circumfluit humor
Salsus, & ipsa quidem numeri mihi filia mater.

Somnus.

Mortalis, immortalis; aut neutrum, aut quidem
Vtrumque; mixtione quapiam, deum
Vitam, nec hominum agit; indiesque nascitur,
Facileque rursus cedit e præsentia;
Nulli videndus, nemini est non cognitus.

Cucurbita Chirurgorum.

Ecce viro vir ita æs ignitum agglutinat arcte,
Mox consanguinea hæc mutuo vt efficiat.

Podex.

Elinguis loquitur; nomen seu femina seu mas
Idem habet; & promus ventorum est ipse suorum;
Stultis stulta refert; ducitque e carmine carmen,
Læsus, & illæsus; glaber, hirtus; plurima & vnus.
Elinguis ille loquitur; atque pluribus
Est nomen vnum; lædier læsus nequit;
Læuisque, & hirtus; spiritus multi capax.

Mensa.

Sodalitatem seruo, vitam nutrio,
Nocuæ remedium & hostis insimul famis.

Tempus.

Quid ipsum vbique & esse nullibi potest?

Animas esse.

Quid quod sciat cum nemo, quilibet docet?

Pugiles.

Quinque viri denis locum in vnum nauibus ibant:
Pugna erat in saxis, neque erat pote tollere saxum:

δίψη δ' ἐξώλλυντο, ὕδωρ δ' ὑπερεῖχε γλυκύ.

ἔρανος.

ἐγὼ πρότερον μὲν τοὺς κελεύοντας λέγειν
γρίφους παρὰ πότον, ᾤόμην ληρεῖν σαφῶς,
λέγοντας οὐδέν· ὁπότε τις προστάττετο
εἰπεῖν ἐφεξῆς, ὅ, τι φέρων τις μὴ φέρει;
ἐγέλων, νομίζων λῆρον, οὐκ ἂν γενόμενον.
οὐδέποτε γ' οἴμαι πρᾶγμα παντελῶς λέγειν,
ἐνέδρας δ' ἕνεκα. νυνὶ δὲ τοῦτ' ἔγνωχ' ὅτι
ἀληθὲς ἦν. φέρομεν γὰρ ἔρανόν τινα
ἄνδρες δέκ', οὐ φέρει δὲ τούτων τὴν φορὰν
οὐδὲ εἷς. σαφῶς οὖν, ὅτι φέρων τις μὴ φέρει.
τοῦτ' ἐστιν, ἦν δ' ὁ γρίφος ἐνταῦθα ῥέπων.

χύτρα κρεῶν.

. . . . πότερον ὅταν μέλλω λέγειν σοι τὴν χύτραν λέγω,
ἢ ῥοχορυματίτυκτον κοιλοσώματον κύτος,
πλαστὸν ἐκ γαίης ἐν ἄλλῃ μηδὸς ὀπτηθὲν στέγῃ.
νεογνοῦς ποίμνης δ' ἐν αὐτῇ πνικτὰ γαλακτοθρέμμονα,
τακερόχρωτα δικτύουσαν.

πλακοῦς.

. . . . . ξουθῆς μελίσσης νάμασίν τε συμμιγὴς
μηκάδων αἰγῶν ἀπόρρουν θρόμβον ἐγκαθήμενον
εἰς πλατὺ στέγαστρον ἁγνῆς παρθένου Δηοῦς κόρης,
λεπτοσωματοῦς τρυφῶντας μυρίοις καλύμμασιν·
ἢ σαφῶς Πλακοῦντα φράζω σοι;

ἰχνεύμων αἰγύπτιος.

ἀττελεβόφθαλμος, μὴ πρόσομος, ἀμφικνέφαλος,
αἰχμητής, παίδων ἀγόνων γόνον ἐξαφανίζων.
τὴν γὰρ κροκοδείλων ὤσπερ ᾠὰ λαμβάνων,
πρὶν θηλυθῆς τὸν γόνον κατάγνυσιν,
ἔσθ' ὅτ' ἀφανίζει. διότι δὴ ἀμφίσομος.

Defecere siti superante ad labra liquore.

Collecta.

Olim putabam, pocula inter dicere
Griphos iubentes, agere nugas maximas,
Nihilque velle. vt si iuberet quispiam
Subito explicare, Quid ferens quis non ferat?
Ridebam, ineptias meras credens, neque
Id esse factum rebar vllo tempore:
Sed fraudis ergo dicier. nunc verius
Nil esse noui. Namque collectam viri
Decem feremus; non tamen nos singuli
Eam feremus. ergo quod fero, haud fero.
Hoc innuebat ille griphus scilicet.

Olla carnium.

An vero dicturus Ollam tibi, sic dicam
Rotæ conuersione fabricatum corpore vas cauo,
Ex terra fictum, sub alio tecto matris coctum,
Nuper geniti quod gregis intra se suffocatos lactentes
foetus
Molliuscula carne eliquatos irretiuit.

Placenta.

Flauæ apis fluentis commixtus
Balantium caprarum extillans grumus, ac insidens
Lato tegumento castæ virginis filiæ Cereris;
Infinitis operimentis subtiliter compositis lasciuiens;
An potius clare tibi Placentam enunciabo?

Ichneumon Ægyptius.

Cui locustæ sunt oculi, rostrum haud acutum, puluini
instar caput,
Pugnator ille natorum nondum genitorum semen delet.
Oua enim crocodilorum hic offendens
Priusquam soboles belluæ perfecta sit, frangit,
Et inde omnino consumit. quapropter & gemino ore
dicitur,

κεντεῖ κάτωθεν, τοῖς δὲ χείλεσι δάκνει.

πίννη καὶ τρίγλη.

πίννη καὶ τρίγλη φωνὰς ἰχθύδι' ἔχουσαι,
πόλλ' ἐλάλουν, περὶ ὧν δὲ πρὸς ὃν τ' ᾤοντο λέγειν τι,
οὐκ ἐλάλουν. οὐδὲν γὰρ ἐμάνθανεν ὥς τε πρὸς ὃν μὲν
ἦν αὐταῖς ὁ λόγος, πρὸς δ' αὐτὰς πολλὰ λαλούσας
αὐτὰς ἀμφοτέρας ἡ Δημήτηρ ἐπιθρέψῃς.

κημὸς κληρωτήριος.

ἔστιν ἄγαλμα μεμυκὸς ἄνω, τὰ κάτω δὲ κεχηνὸς,
εἰς πόδας ἐκ κεφαλῆς τετρημένον, ὀξὺ, διαπρὲς,
ἀνθρώπους τίκτον, κατὰ τὴν τύχην ἓν ἕκαστον,
ὧν οἱ μὲν μοῖραν ἔλαχον βίου, οἱ δὲ πλανῶνται.
αὐτὸ δ' ἕκαστος ἔχων αὐτῷ, καλέουσι φυλάττεις.

ἄδηλον.

μαζονόμου τε πατὴρ τ' ἐρίφου, καὶ σχέτλιος ἰχθὺς
πλησίον ἡείσαντο καρήατα· παῖδα δὲ νυκτὸς
δεξάμενοι βλεφάροισι, διωνύσοιο ἄνακτος
βουφόνον οὐκ ἐθέλουσι πιθηνείαδες θεράποντα.

π πεσάνη.

κριθῆς ἀφλοίου χυλὸν ὀργάσας πίε.

δύο γυναῖκες ἑκάστη βρέφος βαστάζουσαι
καὶ εἰς ἀλλήλας ἐσορῶσαι.

ἡμετέρω μὲν παῖδε, καὶ ἡμετέροιν ἀπὸ παίδοιν,
παῖδε κασιγνήτω θ' ἡμετέροιν ἀνέροιν.
ἀλλήλοιν θείω, καὶ ἀδελφιδῶ ἀλλήλοιιν
ἀμφότεροι, νομίμων δ' ἐκγεγαῶτε γάμων.

ÆNI-

Pungit ſuperne, & labiis mordet.

Pinna & mullus.

Pinna & mullus piſciculi cum eſſent voce prædití,
Multa loquebantur. de quibus vero ſe quid putabāt dicere,
Nihil loquebantur; nec vllus intelligebat ad quos ipſis
Sermo eſſet. at vero quamuis multum loquaces
Ambos eos Ceres confeſtim nutriet.

Cadus iudicialis.

Eſt ſimulacrum conniuens ſuperne, inferiori parte hians,
A capite ad pedes traiectum, acutum, perforatum,
Pariens homines, poſtica parte vnumquemque,
Quorum alij vitam ſortiuntur, alij errant.
Vnuſquiſque autem ſibi id habens, loquentibus ſeruat.

Ignotum.

Hœdi varias mixtim herbas depaſcentis pater, & infelix piſcis,
Capitibus proxime admotis conflixerunt: noctiſque deinde filio
In palpebras recepto, Dionyſi regis
Boum interfectorem miniſtrum nutricari nolunt.

Ptiſana.

Hordei decorticati & tuſi ſuccum bibe.

Duæ mulieres, quæque infantem geſtantes, & ſe inuicem reſpicientes.

Et noſtri hi nati, & natorum hi pignora noſtrum,
Noſtrorum fratres ſunt ſoboleſque virum.
Vni alter patruoque nepos, patruuſque nepoti,
Mutuum; & eſt licito natus vterque toro.

ÆNIGMATA

aliquot

Veterum Poëtarum

LATINORVM.

Terminus.

SEMEL *minus ne, an bis minus, non ſat ſcio,*
An vtrumque verum, vt quondam audiui dicier,
Ioui ipſi magno noluit concedere.

Cras.

Tarpeio quondam ſedit quæ culmine Cornix,
Eſt bene, non potuit dicere, dixit, Erit.

OEdipus.

Aui gener, patriſque riualis ſui,
Frater ſuorum liberum, & fratrum parens,
Vno auia partu liberos peperit viro,
Ac ſibi nepotes. monſtra quis tanta explicet?

Sphynx.

Illa etiam thalamos per trina ænigmata quærens,
Qui bipes & quadrupes foret, & tripes, omnia ſolus,
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphynx: volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Puteus.

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Tres pateat cæli ſpatium, non amplius, vlnas.

Hyacinthus.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcantur flores.

Her-

Hermaphroditus.

Quum mea me genitrix grauida gestaret in aluo,
Quid pareret fertur consuluisse deos.
Mas est, Phœbus ait: Mars, femina: Iunoque, neutrum.
Quumque forem natus, Hermaphroditus eram.
Quærenti letum, Dea sic ait; Occidet armis:
Mars, cruce: Phœbus, aquis. sors rata quæque fuit.
Arbor obumbrat aquas: adscendo. decidit ensis
Quem tuleram, casu labor & ipse super.
Pes hæsit ramis, caput incidit amne: tulique
Femina, vir, neutrum, flumina, tela, crucem.

Psittacus.

Indica purpureo genuit me litore tellus,
Candidus accenso qua redit orbe dies:
Hic ego diuinos inter generatus honores
Mutaui Latio barbara verba sono.
Iam dimitte tuos, Pæan o Delphice, cycnos,
Dignior hæc vox est quæ tua templa colat.

Chimæra.

Ore leo, tergoque caper, postremaque serpens,
Belua tergemino mittit ab ore faces.

Problema Arithmeticum.

Vt tot emantur aues, bis denis vtere nummis,
Perdix, anser, anas, empta vocetur auis.
Sit simplex obolus pretium perdicis, ematur
Sex obolis anser, bisque duobus anas.
Vt tua procedat in lucem quæstio, mentem
Consule: sic loquitur pectoris arca mihi.

Sint

Sint anates tres atque duæ, simplex erit anser,
Accipe perdices quattuor atque decem.

Patris nepos & gener.

Her filius hic iaceo, mecum Marulla quiescit,
Quæ soror, & genitrix, quæ mihi sponsa fuit.
Vera negas, frontemque trahis, ænigmata sphyngis
Credis? sunt Pythio vera magis tripode.
Me pater e nata genuit, mihi iungitur illa,
Sic soror, & coniux, sic fuit illa parens.

Cochlea.

Terrigena, herbigrada, domiporta, sanguine cassa.

Testudo.

Quadrupes tardigrada, agrestis, humilis, aspera,
Capite breui, ceruice anguina, aspectu truci,
Euiscerata, inanima cum animali sono.

Literæ & Papyrus.

Aut adsit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum, quum tibi
Cadmi nigellas filias,
Mellonis albam paginam,
Notasque furuæ sepiæ,
Cnidosque nodos prodidit:
Nunc adsit, & certe modo
Præsul creatus literis,
Enucleabit protinus
Quod militantes scribimus.

Glacies.

Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.

Idem.

Idem.

Quam mater genuit, generauit filia matrem.

Niobe.

Habet sepulcrum non id intus mortuum.
Habet nec ipse mortuus bustum super.
Sibi sed est ipse hic sepulcrum, & mortuus.

Amor.

Nec speres generum mortali stirpe creatum,
Sed sæuum, atque ferum vipereumque malum.
Qui pinnis volitans super æthera cuncta fatigat,
Flamaque & ferro singula debilitat.
Quem tremit ipse Iouis, quo numina terrificantur,
Fluminaque horrescunt & stygiæ tenebræ.

AD LECTOREM.

CVM Phædri Fabulas, Beneuole Lector, a summo A tiquitatis patrono P. Pithœo primum in lucem e tas, Notis suis & G. Schoppi Spicilegio illustraret vir ctrina & diligentia eximius C. Rittershusius; non absre re visum est, si Cælij Symposij Ænigmata cum I. Ca lionis Anconitani Scholiis adderentur. Tandem etiam au ctarij vicem annectere eam lubuit quam vides Fabellarum & Ænigmatum συλλογὴν. De singulis iis ante quam verba facere instituam, ordine præpostero, omissorum a nobis rationem reddendam esse duxi. Primum itaque in vtroque genere, Fabellarum, inquam, & Ænigmatum, nihil hic habes quod soluta oratione conscriptum sit, præter aliquot Græcorum Ænigmatum versionem, quam diuerso characteris genere a ceteris distinximus. Nihil hic deinde quod non prisci æui sit admisimus, exceptis versionibus, & ænigmate in duas mulieres, quod vltimum est Græcorum. Hoc antiquis quibuscunque par, plerisque elegantius, viri Illustris est; cuius nomen non adscribo, quod hæc talia seriorum ipsi tantum sint interludia. Id tamen, Lector, memineris, quicquid in hac opella putabis esse dignum memoriæ, illius vt esse dicas; si quid minus arriserit (Phædri verbis vtar) ab alio contendas fictum, quouis pignore. Versionem Fabellarum & Ænigmatum Græcorum, quotiescunque nomen interpretis adscriptum non reperies, nouam esse scito. Cetera omnia veterum sunt. Nam qui recentiorum Poetarum Fabellas desiderat, habet ex editione Plantiniana politissimas Faërni: post quem qui idem conati sunt, haud plus laudis merentur, quam illi qui Psalmos verterunt post vatem Scotum. Recentiorum similiter Ænigmata reperire est diuersorum: sed præ ceteris optima incomparabilis viri Iul. Cæs. Scaligeri, atque inde Had. Iunij. Antiquiorum quoque nonnulla omisimus. quoad Fabulas, Auieni Latinas, Babrij Græcas. Illas relegari satius est in omnium Auieni Poëmaton editionem; cuius spem facit idem quem dixi vir Illustris: harum vero quod nullas adhuc integras inuenerimus; (procul autem dubio alicubi latent) fragmentis, quæ multa apud Suidam reperiuntur, tædium tibi crea

re no

re noluimus. Batrachomyomachia & Galeomyomachia mole & materia ab instituto nostro differunt, passimque insuper exstant. Apologos Horatianos auctiores alius desideret forsan; vt narratiuncula de militibus Luculli, & similibus: nobis aliud consilium fuit. Quoad Ænigmata, Symposij omnino probamus: quamuis Lilius Gyraldus libello suo de Ænigmatibus parui ea facere videatur, cum ab amico sibi aliquot nullius momenti tradita scribit, quorum vnum tantummodo recitat, tacito auctoris nomine, de Somno. est autem id Symposij nostri. De hoc is qui nupere Epigrammata & Poëmatia edidit his scribit verbis: SYMPHOSII, qui & Symposius in quibusdam exemplaribus scribitur, meminit Sigebertus Gemmelacensis de Aldhelmo Scoto loquens, cuius quidem nos Ænigmata editione digna non putauimus. Hæc ille. Vt autem etiam scias quæ in hoc genere omiserimus, ante omnia obscæna non admisimus; deinde quæ allegoriæ potius aut periphrases videntur, quam ænigmata; tandem & quæ frigidiora; quorum generum non pauca sunt apud Athenæum & alios; velut de Theseo, Aiace, & cetera, quæ non immerito Gyraldo causam præbuere extenuandi pleraq. Græcorum ænigmata, vt insulsa. De Oraculis & Problematis dubitaui: Tandem vtriusque generis vnum selegi, & quidem in vtraque lingua; operosioribus, licet in Anthologia & alibi suppeteret copia, relictis. Quid multa? quin plurima nos & Fabellarum & Ænigmatum, qui hæc aliud agentes agimus, fugerint, ingenue fateri malumus, quam contra temerarie pertendere. Ad ipsa, qualiacumque sunt, quæ collegimus, transeo, super quibus paucula annotare operæ precium erit: Commentatorem tamen esse, non nostra ruditas, non otium, permittunt.

Quid itaque, vt hoc obiter præmittam, μῦθος, αἶνος, αἴνιγμα, & γρῖφος, sint, vide Lector apud Suidam; sed præcipue Plutarchum in Symposio Septem Sapientum, Athenæum decimo Dipnosoph. & Eustathium in ξ Odysseas Homericæ. De Apologis & Fabellis etiam hoc ipso volumine erudite Rittershusius ac vbertim.

Prima tibi in hoc Auctario occurrent tetrasticha Iambica quadraginta duo cum Scazonte vno plurium versuum. Ea hactenus Gabriæ cuidam Græco tribuerunt. Vt is idem

cum

cum Babrio aut Babria sit, cuius Suidas meminit, verisimile non est: nam in his sæpe contra leges metricas peccatur; nec ea vis iis inest quæ in Babrianis fragmentis elucet: tum vero refert Suidas Babriam scripsisse Fabulas Æsopias διὰ χωλιάμβων (male vulgo χοριάμβων) ἐν βιβλίοις ι. Tale hic vnicum tantum habemus, vltimum videlicet: quod ipsum mirum quantum a reliquis differat. adeo vt plane censeam hunc solum apologum veri Babrij esse, & occasionem dedisse, vt Babriæ, ac corrupte Gabriæ, omnes hi crederentur. Fortasse quidam tetrasticha hæc conscripserit instar epitomes aut argumentorum in apologos Babrianos. Quis iste fuerit, scire parum refert. Gabriæ relinquantur, si volueris: nisi mauis sequi inscriptionem quam se in veteri libro reperisse affirmat Fabius Paulinus Vtinensis: Ἰγνατίου Διακόνου τετράστιχα δίιαμβα εἰς τοὺς μύθους Αἰσωπικοὺς μεταφραστικά.

In ipsis quædam sunt quæ apud alios frustra quæras; quædam quæ aliter inuenias. De Culice & Tauro, de Equo & Apro, de Asino salis primum & post spongiarum baiulo, & alia, quæ legenti patebunt; saltem indaganti. nobis annotare singula non lubet. Ἐπιμύθια, quæ Affabulationes timide vertunt, pleraque frigida: nonnulla aliena: vt non eiusdem auctoris esse iudicet Paulinus. Qui tamen tetrasticha in pares versus Latinos transtulit, etiam ἐπιμύθια singula vno versu complexus est.

Vetustissimum Apologum de Accipitre & Luscinia ex Hesiodi Operibus & Diebus desumsimus. Epigramma de Boue & Hirco, apud Suidam exstat. De Apologis Horatianis, aut ad eos, frustra quid post tot Commentatores proferre coner. Pars altera Auctarij se offert, Ænigmata; & primum Græca.

ἐνιαυτὸς] Cleobuli est apud Diogenem Laërtium. Consule hic necessario librum primum emendatissimi operis Ios. Scaligeri de Emendatione Temporum.

εὐνοῦχος σερβὸς ἄν] Ex Suida potissimum concinnatum: quamuis apud illum pro βαλεῖ τε κ᾽ οὐ βαλεῖ, sit μεταβαλὼν διώλεσεν. Plato idem refert. Etiam Athenæus sub nomine παναρκοῦς: atq. is addit, καθημμένην καὶ οὐ καθημμένην. quod interpretatur Gyraldus, quasi ita alligatus fuerit vespertilio super ferulam, vt inde se amouere non posset.

χαλ-

χαλκῆϊον] Pars Oraculi est apud Herodotum, qui ipse libro primo affatim interpretatur.

φθεῖρες] Homero propositum fuit, vt notissimum ex eodem Herodoto & Plutarcho.

νύζη] Ausonianam huius Epigrammatis, quod tertio Anthologias reperitur, versionem, inter Ænigmata Latina locauimus: hic Iul. Scaligeri prætulimus. Sensus apertus ei qui Niobes metamorphosin nouerit.

Ιοκάστη] Verba sunt Nuncij de ipsa Iocasta narrantis Oedipo Tyranno Sophoclis. Vix ænigma est.

ἑπτὰ κῇ πέντε] Lemma Problematis Euclidei, quo ipsum Problema satis explanatur.

οἶνος] Hoc & sequentia quinque ἐπιχάρμματα γριφώδη debemus viro linguæ Græcæ callentissimo H. Stephano, qui ea ex vetere codice Epigrammatum, quem Louanij habebat Io. Clemens Anglus, descripta, Anthologiæ subiunxit. Venustas huiusce de Vino Latine exprimi nequit: consistit enim in homonymia dictionum Græcarum. Qui vertit, fecit illud potius ne nihil faceret, quam vt aliquid. Dicit itaque Vinum, se Centauros μαρναμένους (ita melius legitur quam μαρνάμενος) perdidisse. Sic Homerus, οἶνος κῇ κένταυρον ἀπώλεσε. quod videlicet causam pugnæ suscitauerit geminata libidine ebrietas, vt inquit Ouidius, qui fuse fabulam narrat. Addit Vinum, μνωσογένειαν κόρλω περὶ πληγαῖς cecidisse. μνωσογένεια κόρη Minerua Orpheo & Poetis, vt Catullo vnigena. Eadem dicitur φρόνησις, auctoribus omnibus mythologicis, ἀγαθοῖς δὲ φρόνησις eidem Orpheo. Ἐν περὶ πληγαῖς, id est, tertio poculo. Primum poculum vocat Philosophus ὑγιείας, secundum ἡδονῆς, tertium μανίας. Ergo ἡ φρόνησις εἰς μανίαν ἔπεσεν. Quod ait, κρηπῖδα ἠπείροιο ... innuit vim se intulisse τῆς ἀσφαλείας θεῷ: quum ποσειδῶν dicatur ἀσφάλιος κῇ ἀσφαλίων. Ebrij autem sunt ἐπισφαλεῖς, & cadunt. Concludit Vinum, νῦν δέ με μοῦσαι τρίτη. Ante legebatur, νῦν δὲ νέμουσι τρίτη πνεμαῖς νύμφαισι μιγέντα δ᾽ἔρχεο, &c. nullo sensu. Emendauit vir Illustris; vt & cetera quæ emendatiora animaduertes: quod semel dixisse sufficiat. μοῦσαι τρίτη est θάλεια & θαλεία: vtrumque conuiuium significat. Proinde dicit se nunc in conuiuiis cum caldis aquis mixtum conspici in vase vitreo. Caldam cum vino potabant: thermopotare Plauto. Cal-

dam poscis aquam: Martialis. Sed hæc erudite pertra[ct]- ab eruditissimo Lipsio.

ἰσοπλευρ] Qui nouerit quid sit ἰσοπλευρ aut ἀτοπλ[ευρ] plura ad huius epigrammatis intelligentiam non requi[rit].

φοινικοβάλανος] Cognominem se dicit matri. Græ[ci] enim φοῖνιξ tam fructum palmæ significat, quam ipsam [ar]borem. Proprie autem hic loquitur de chamærriphe, qu[æ] humile palmæ genus est. dicit etenim τὴν μητέρα ἄβρ[οτον] πολλὴν κεράτων. Galeno id ἐγκέφαλος τῆς φοίνικος est. Pl[an]tam ipsam Palladius Cephalonem nominat; vt etiam ho[die] vulgus Italorum. Adi scriptores rei herbariæ.

κινάρα] Nec hoc Latine exprimatur. Per μητρὸς πατ[...] intelligit πάππον: quæ vox Græcis non auum solum sign[i]ficat, sed etiam lanuginem illam plantarum, de qua Eubuli ænigma est. Cetera facilia rei herbariæ peritis.

δέλτος] Codicem hinc Latinis dici quòd ab arboris trunco efformaretur, notior res, quam vt hic moneri debeat. Per ἄρη graphium intelligit, seu stylum ferreum; qui ideo κηρινοὺς λόγους, quod eo antiqui in tabulis scriberent, literasque exararent. Similiter pro igne crebro Vulcanus ponitur. Plautus: Quo ambulas tu qui Vulcanum in cornu conclusum geris? Quod ipsum ænigmatis speciem refert. Verum si eiusmodi omnia ex Plauto, Aristophane, & aliis colligere libuisset, Auctarium ad Auctarium conficere potuissem; νόμον scilicet ἐκ νόμου ἕλκειν.

σφαῖρα] In exercitio pilæ lusoriæ qui errabat, in medio areæ sistebatur, ac Asinus appellabatur. Vide Pollucem. Τὰ φύλλα sunt inuolucrum coriaceum, ex quo pila consuta.

Reliqua omnia Ænigmata Græca ex Athenæo depromta sunt; excepto tamen, vt diximus, postremo.

ἄνθρωπος] Triste carmen alitis feræ, cuius nodosa verba & implexos dolos soluisse se Oedipus profitetur in Thebaide Tragœdia. Versiculos Asclepiadi inscribit Athenæus. Explicantur fuse a Natali Comite in Mythologiis & L. Gyraldo libello de Ænigmatis. Mirum interea quod φωνὴν hic plerique vocem interpretentur potius quam naturam. Mutat hanc certe præ ceteris animatis & inanimatis homo, consuetudine, educatione, casu. Vocem non tantopere vt bestiæ. Possit nihilominus dici eam mutare, pro diuersitate linguarum.

τὸ ξ καὶ ἥμισυ] Theodectis est. Vulgo scribitur: αὐτὴ δὲ τεκοῦσα πάλιν γ' ὑπὸ ταύτης τίκτεται. Vide etiam Gyraldum.

ἐπιστολὴ] Antiphanis: qui quendã introducit aliam etiam solutionem proferentem, sed quam respuit Sappho.

ἰξὸς] Ionis. Αἰγυπτίαν cur χλαῖναν nominet non mirum cum addat, λινοῦλκος.

σκιὰ, &, πάππος] Primum Eubuli, alterum Theodectis est. Pappus eodem significatu Latinis vsitatum. Papposque volantes, Lucretius.

κοχλίας] Theognidis. Amphiboliam animaduerte. hic pro buccina sumitur; statim pro ipsa bestia. Multa super his disserit Gyraldus.

Ἀπόλλων] Auctorem non nominat Athenæus. Ipse ita interpretatur: φανερῶς μὲν οὖν λέγεται τῇ Δήλῳ, ἥτις ὑπὸ θαλάσσης περιέχεται. μήτηρ δ' ἡ Λητὼ, ἥτις Κοίου ἐστὶν θυγάτηρ. Μακεδόνες δὲ τὸν ἀριθμὸν κοῖον προσαγορεύουσι.

ὕπνος] Addit solutioni ænigmatis Alexis epitheton commodum somno. Roganti enim, τίς οὖν τοιαύτην παῖς ἔχων ἔσται φύσιν; respondetur, ὕπνος βροτείων ὦ κόρη παυστὴρ πόνων. Ita alij πόνων ἀλκτῆρα & παυσήνορον vocant.

σικύας προσβολὴ] Cuius sit, tacet Athenæus. priorem versum habet Plutarchus, in quo est πυρὶ χαλκὸν duabus dictionibus. Energia ænigmatis præcipue constat in voce συναίμονα, quæ Græcis videtur tam sanguinolenta, aut simul sanguine conspersa, significare, quam consanguinea; vt Latinis itidem dictio, sanguineus. Quid σικύα & σικύη Medicis sit, docet apertissime Gorræus in Definitionibus.

πρωκτὸς] Promiseram obscæna me non admissurum. si quis illud Eubuli tale existimauerit, nõ legat. Ἀξύνετ' ἀξυνέτοισι λέγων: sensus est, podicem edere sonum inconditum, atq. adeo qui audiri possit non intelligi: aut etiam absurdis fatuisque hominibus digna, hoc est, absurda respondere: vel tandem quæ nec ipse intelligat nec qui audiat proloqui. Νόμον ἐν νόμῳ ἕλκων: catenatam inter se cantilenam modulantem facit podicem. Huc quæ faciant, in Aristophane, ni fallor, aliquando legi, Locus non occurrit.

τράπεζα] E Timocle citat Athenæus.

χρόνος] Inter antiquissimos griphos recenset Athenæus, & ita explicat, ἅμα γὰρ παρὰ πᾶσιν ὁ αὐτὸς καὶ οὐδαμοῦ, διὰ τὸ μὴ ἐν ἑνὶ τόπῳ τὴν φύσιν ἔχειν. Non alienum ab

ænigmate quod in veteri epigrammate eſt de tempore:
καὶ μὴ φαινόμενος τοὺς φαινομένους ἀφανίζει.
καὶ μὴ φαινομένους εἰς φανερὸν προφέρει.

Ψυχὰς ἔχειν] Ratio quam Athenæus profert, contra rationem eſt: τοῦτο γὰρ, inquit, οὐθεὶς ἡμῶν ἐπιστάμενος διδάσκει τὸν πλησίον.

πέντε ἄνδρες] Vt tritum profert Athenæus. Secundum verſum agnoſcit Plutarchus. In pyctas ſiue pugiles dictum. πίτυλος ſignificat pugnum ad pugnandum protenſum: quod Græcis dicitur ἐν προβολῇ ἵστασθαι. item creber pugnorum ictus in pugilatu ita dicitur. Sed & πίτυλος dicitur nauis, σκάφος, ſatis frequens Tragicis. Ergo quia ſingulis hominibus ſunt bini pugni, ſiue πίτυλοι, quinque homines pugnant cum decem pitylis. Ἐν δὲ λίθοις ἐμάχοντο· ἐν λιθοσπόρῳ. Ὕδωρ ὑπερέχει φύειν ἱδρώς. Alij aliter intellexere. fruſtra.

ἔρανος] Iambi Antiphanis. Ἔρανα, δῶρα τὰ ἐκ συλλογῆς: Suidas. Gyraldus a quibuſdam ὁ φέρων τις μὴ φέρει, ad pondus quod a pluribus ſimul attollitur, referri monet. quæ interpretatio ſatis arridet.

χύτρα κρεῶν] Trochaici eiuſdem Antiphanis; vt etiam qui ſequuntur περὶ πλακοῦντος. non credam tamen ſatis emaculatos. ſed expectamus iis totique adeo Athenæo, tanquam Augiæ ſtabulo, Herculem Iſaacum Caſaubonum. De placentis etiam alibi Athenæus.

ἰχνεύμων αἰγύπτιος] Beſtiæ mentionem plures faciunt; Ariſtoteles, Plinius, Oppianus, Orus Apollo, Solinus: ſed omnium accuratiſſime deſcripſit P. Bellonius. Vix tamen ex vllo eorum, vel omnibus ſimul, hoc ænigma ſatis explanetur; imo nec ex ipſius auctoris Eubuli, quam addit, enodatione. Quare ſagacioris ἰχνευτοῦ hic indigemus. Nam ipſo initio ἀπιλοσοφθαλμος, neſcio an ab alio idem tradatur. Oppianus ὀφθαλμοὺς eius προβόλους vocat. Μὴ πρόστομος: roſtrum acutū, vertit Dalemchampius, contra ſenſum verborum Eubuli: aut ſane in aliam lectionem incidit. Rectè tamen vertit ad deſcriptionem & imaginem Bellonij. Niſi ita ceperis, vt ſit μὴ πρόστομος, quod nare potius ſit prominula: vel quod, roſtrum habens mucronatūm, craſſiorem cuiuſcunque rei molem morſu apprehendere nequeat. Ἀμφικέφαλος: puluini inſtar inflatas & turgidas habens buccas. ἀμφικνέφαλος legit Dalemchampius, & vertit, ob-

ſcurus

fcurus vtrinque color: quod non abit a defcriptione Bellonij, qui ait pilos ipfi effe duorum per interualla colorum; nempe exalbidos vel flauefcentes (vtor verfione politiffimi Clufij) & cinereos. Αἰχμητὴς: Oppiano ἀργὸς, μεγαθεινὴς, αἰολόβουλος. verum hæc eo referenda, quod δηλίαν ἐπὶ μῆτιν ὑφαίνων ἑρπυστῆρας ὄφεις τε καὶ ἀργαλέους κροκοδείλους interimat. Ἀμφίσφαλος κοιτεῖ κάτωθεν, τοῖς δὲ χείλεσι δάκνει: Hæc videtur addere vt interpretetur quod dixit κατάγνυσιν & ἀφανίζει. fed neque tale quid apud alios legere memini. Fieri poffit vt hæc eo addiderit, vt elucidaret vocem ἀμφίκναφαλος, feu quæ alia iftic fubftituenda. Quid fi Eubulus ipfe nefciuerit, cur ἰχνεύμων, aut, vt Nicander vocat, ἰχνεύτης, vulgo ἀμφίσφαλος cognominaretur? Vt id fufpicer faciunt ifta Bellonij verba: PECVLIARI præditus eft nota, qua reliquæ quadrupedes animantes carent; quæ fufpicionem Auctoribus præbuit, vt exiftimarent mares non minus vterum geftare quam feminas: habet enim præter muliebris fexus meatum, alium quempiam ingentem illi contiguum, pilis obfitum, non admodum diffimilem pudendo mulieris, quem per maghos æftus aperit, vt cauitas in eo appareat: claufo nihilominus manente quo excrementa reddit foramine. Hæc Bellonius. Noftram ignorantiam interea fateri præftat, quam infcitiæ culpare Eubulum.

πίννη καὶ τρίγλη] Referunt ad pifciculos ftridentes dum coquerentur in fartagine, atque inde farina obuolutos. An mentem Antiphanis affequuti fint, amplius videndum.

κημὸς κληρωτήριος] Textum vimineum in anguftum definens, in quod fortes coniiciebantur per anguftum illud foramen; & ex contraria parte educebantur. Eubuli fententia procul dubio talis. Μεμυκὸς ἄνω, conniuens fuperne, quia angufto foramine admittebat fortes. Ante erat βεβηκὸς. quod etiam retineri poteft. videntur enim tres pedes parti latæ fubiecti fuiffe. ita dicendum erit, incedens fupernis partibus. atqui folemus incedere infernis. Præftat tamen legere, μεμυκὸς, propter fimilitudinem quam μ cum β habet in veteribus codicibus; in quibus illæ literæ nihil inter fe figura difcrepant. Τὰ κάτω δὲ κεχηνὸς: aperiebatur, amoto fundo, cum fortes educerentur. Τετρημένον: patet enim fuperne & inferne, vt dictum eft. Ὀξὺ: & Grammatici dicunt effe πλέγμα ὀξύ. Διατρὶς: eft ταυτολογία. nam

τετρημένον ἐκ κεφαλῆς εἰς πόδας, idem est quod διατρὶς, perforatum. Nisi quis dicat τετρημένον esse foraminosum, foraminibus plenum : erat enim vimineum. Dalemchampius aliter legisse videtur : vertit enim, tres homines pariens. Μοῖραν ἔλαχον βίου: tabellas condemnatorias aut absolutorias. Οἱ δὲ πλανῶνται : damnati in exilium. Αὐτὸ δ' ἕκαστος ἔχων αὐτῷ καλέουσι φυλάττει: ita legendum, non, ἔχων αὐτὸν καλέουσι φυλάττειν. Vnusquisque, inquit, vtitur eo cum compellantibus se respondet. κημὸς non solum est illud πλέγμα κλεψυδρίου, sed etiam τῶν χειλέων τὸ περὶ τὸ ὅλον στόμα. qui καλέουσι, respondet, cum oportet diducere τὸν κημὸν, ideoque seruare dicitur τὸν κημὸν τοῖς καλέουσι, quando respondet.

μιξονόμου τε πατρὸς] Simonidis poetæ est. Explicationes plures eius in medium profert Athenæus : nullam quæ nos sapientiores efficiat. Feliciore Oedipo opus est. Παῖδα νυκτὸς indubie somnum intelligit: cetera non assequimur. Habet eiusdem Simonidis aliud epigramma Athenæus; quod, vt nimis late γρίφου definitionem extendit, inter γρίφους enumerat. Id tale est:

φημὶ τὸν οὐκ ἐθέλοντα φέρειν τέττιγος ἄεθλον,
τῷ Πανοπηϊάδῃ δώσειν μέγα δεῖπνον Ἐπειῷ.

δύο γυναῖκες] Neminem sensus huius ænigmatis effugiet, qui mentem intenderit. Ego inexplicatum relinquam, exercitium ingeniis, vt crucem Varro ænigmate Termini. Hoc tamen scire debes, Segusione ad radices Alpium in aulæo basilicæ intextas esse duas mulieres se inuicem respicientes, singulas puerum infantem vlnis gestantes, versibus Gallicis inconditis ad pedes earum adiectis, quorum sententiam Græcis expressit Vir Illustris. Pergo ad Ænigmata Latina.

Terminus] Varronis apud A. Gellium est. Solutionem vide apud Politianum Miscellaneorum XXXVI.

Cras] Ita capiendus versiculus apud Suetonium Domitiano. Quod scilicet cornix identidem similem sonum edat voci Cras, lusere gnaruli, & dixere cornicem elocutam, ἔσται πάντα καλῶς.

Oedipus] Matrem Iocastam vxorem duxerat imprudens Oedipus, & ex ea liberos tulerat. rei post gnarus hæc queritur tragœdia Thebaide. Paria fere sunt vtraque Oedipo Sophoclis.

Sphynx]

Sphynx] Ausonius Gripho ternario. Iisdem pene verbis Epigramma vetus:

> *Ales, Virgo, Leo, creuit de sanguine Lai,*
> *Thebano nascens & peritura malo.*

Puteus, &, *Hyacinthus*] Virgiliana. Explicantur a Gyraldo & interpretibus: doctissime a Valente Pimpontio.

Hermaphroditus] Inter Catalecta Virgilij recensetur. Editor Poëmation veterum etiam habet: vt itidem quæ sequuntur de Psittaco, Chimæra, & Problema Arithmeticum.

Hersilus hic iaceo] Inscriptio vetus.

Cochlea, &, *Testudo*] Pacuuiana e secundo Ciceronis de Diuinatione. Vide Gyraldum de his & de Græcis περὶ κοχλίου non inepte differentem. Eundem quoque consule de Ausonianis quæ sequuntur, *Aut adsit*, &c. & Diomedis Grammatici de Glacie.

Niobe] Conuertit Ausonius e Græco quod supra habuimus. Exstat in statuam Niobes epigramma etiam Græcum:

> ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον. ἐκ δὲ λίθοιο
> ζωὴν πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

Liberius & pulcrius transtulit idem Ausonius. Ad verbum ita fere sonet:

> E *viua lapidem me Dij fecere; vicissim*
> *Praxiteles viuam reddidit e lapide.*

Nec speres generum] Oraculum redditum sciscitantibus parentibus Psyches de matrimonio filiæ, apud Apuleium. Ipsum & Commentaria in eum adi. Ego manum tollo. Nam si similes quosque locos, quod vulgo hodie fit, corradere, & omnia minutim interpretari, quod Scholiastæ est, aut animus mihi fuisset, aut occupationes permisissent, vel in vnum oraculum hoc Apuleianum ingens volumen excreuisset. Cuncta iam ante dicta sunt. Fontes ipsos, Lector, adi. tibi illi non magis occlusi quam mihi. tibi præterea ingenium & iudicium, forsan & otium, abundant: certe vt abundent opto. Vale.

FINIS.

ÆNIGMATA
SYMPOSII
POETÆ
VETERIS,

Cum Scholiis

IOSEPHI CASTALIONIS

ANCONITANI I. C.

E E

Incipiunt
ÆNIGMATA
SYMPOSII
POETÆ.

HÆc quoque Symposius de carmine lusit inepto.
Sic tu Sexte doces, sic te deliro magistro.
Annua Saturni dum tempora festa redirent,
Perpetuo semper nobis solemnia ludo,
Post epulas lætas, post pocula dulcia mensæ
Deliras inter vetulas, puerosque loquaces
Cum streperet late madidæ facundia linguæ,
Tum verbosa cohors studio sermonis inepti
Nescio quas passim magno de nomine nugas
Est meditata diu, sed friuola multa locuta est
Nec mediocre fuit magni certaminis instar
Ponere diuerse, vel soluere quæque vicissim.
Ast ego ne solus fœde tacuisse viderer,
Qui nihil attuleram mecum, quod dicere possem,
Hos versus feci subito de carmine vocis.
Insanos inter sanum non esse necesse est.
Da veniam lector. quid non capit ebria musa?

I. GRBPHKXM.

De summo planus, sed non ego planus in imo,
Versor vtrinque manu, diuerso & munere fungor,
Altera pars reuocat, quidquid pars altera fecit.

2. BRXNDP.

Dulcis amica Dei, semper vicina profundis,

Suaue

Suaue canens musis, nigro perfusa colore
Nuntia sum linguæ digitis signata magistris.

3. BNXLXS CXM GFMMB.

Corporis extremi non magnum pondus adhæsi,
Ingenitum dicas, ita pondere nemo grauatur.
Vna tamen facies, plures habitura figuras.

4. CLBVKS.

Virtutes multas de viribus adfero paruis,
Pando domus clausas, iterum sed cludo patentes.
Seruo domum domino, sed rursus seruor ab ipso.

5. CBTFNB.

Nexa ligor ferro multos habitura ligatos,
Vincior ipsa prius, sed vincio vincta vicissim.
Et solui multos, nec sum tamen ipsa soluta.

6. TEGVLA.

Terra mihi corpus, vires mihi præstitit ignis.
Est domus in alto, sedes est semper in alto.
Et me perfundit qui me cito deserit humor.

7. FXMXS.

Sunt mihi, sunt lacrimæ, sed non est causa doloris.
Est iter ad cælum, sed me grauis impedit aer.
Et qui me genuit, sine me non nascitur ipse.

8. NEBVLA.

Nox ego sum facie, sed non sum nigra colore.
Inque die media tenebras tamen adfero mecum,
Nec mihi dant stellæ lucem, nec Cynthia lumen.

9. PLXVKB.

Ex alto venio, longa delapsa ruina.
De cælo cecidi medias transmissa per auras.
Sed sinus excepit, qui me simul ipse recepit.

10. GLBCKFS.

Vnda fui quondam, quod me cito credo futuram,

Nunc rigidi cæli duris connexa catenis,
Nec calcata pati possum, nec nuda teneri.

II. FLVMEN, ET PISCIS.

Est domus in terris, clara quæ voce resultat,
Ipsa domus resonat, tacitus sed non sonat hospes:
Ambo tamen currunt, hospes simul, & domus vna.

12. NKX.

Puluis aquæ tenuis modico cum pondere lapsus
Sole madens, æstate fluens, in frigore siccus,
Flumina facturus, totas prius occupo terras.

13. NAVIS.

Longa feror velox formosæ filia siluæ
Innumeris pariter comitum stipata cateruis,
Curro vias multas vestigia nulla relinquens.

14. PVLLVS IN OVO.

Mira tibi referam nostræ primordia vitæ,
Nondum natus eram, nec eram tum matris in aluo.
Iam posito partu natum me nemo videbat.

15. VIPERA.

Non possum nasci, si non occidero matrem,
Occidi matrem, sed me manet exitus idem.
Id mea mors patitur, quod iam mea fecit origo.

16. TKNFB.

Littera me pauit, nec quid sit littera noui.
In libris vixi, nec sum studiosior inde.
Exedi musas, nec adhuc tamen ipsa profeci.

17 ARANEA.

Pallas me docuit texendi nosse laborem,
Nec pepli radios poscunt, nec licia telæ.
Nulla mihi manus est, pedibus tamen omnia fiunt.

18. COCLEA.

Porto domum mecum, semper migrare parata,

Mutato-

Mutatoque ſolo non ſum miſerabilis exul,
Sed mihi conchylium de cælo naſcitur ipſo.

19. RBNB.

Rauca ſonans ego ſum media vocalis in vnda,
Sed vox laude ſonat, qua ſe quoque laudet & ipſa.
Cumque canam ſemper, nullus mea carmina laudat.

20. TESTVDO.

Tarda gradu lento, ſpecioſo prædita dorſo,
Docta quidem ſtudio, ſed ſæuo prædita fato.
Viua nihil dixi, quæ ſic modo mortua canto.

21. TALPA.

Cæca mihi facies atris obſcura tenebris,
Nox eſt ipſe dies, nec ſol mihi cernitur vllus.
Malo tegi terra, ſic me quoque nemo videbit.

22. FORMICA.

Prouida ſum vitæ, ſed non ſum pigra labore,
Ipſa ferens humeris ſecura præmia brumæ
Nec gero magna ſimul, ſed congero multa viciſſim.

23. MXSCB.

Improba ſum fateor, quid enim gula turpe veretur?
Frigora vitabam, quæ nunc æſtate reuertor:
Sed cito ſubmoueor, facto conterrita vento.

24. GVRGVLIO.

Non bonus agricolis, non frugibus vtilis hoſpes,
Non magnus forma, non recto nomine dictus,
Non gratus Cereri, non paruam ſumo ſaginam.

25. MXS.

Parua mihi domus eſt ſed ianua ſemper aperta,
Exiguo ſumptu furtiua viuo ſagina,
Quod mihi nomen ineſt, Romæ quoque conſul habebat.

26. GRXS.

Littera ſum cæli penna perſcripta volantis,

Bella cruenta gerens volucri discrimine Martis,
Nec vereor pugnas, dum non sit longior hostis.

27. CORNICVLA.

Viuo nouem vitas, si non me Gracia fallit,
Atraque sum semper nullo complexa dolore.
Et non irascens vltro conuicia dico.

28. VESPERTILIO.

Nox mihi dat nomen, primo de tempore noctis,
Pluma mihi non est, cum sit mihi penna volantis,
Sed sedeo in tenebris, nec me committo diebus.

29. ERICIVS.

Plena domus spinis, parui sed corporis hospes,
Incolumi dorso, telis completus acutis,
Sustinet armatas sedes habitator inermis.

30. PFDKCXLK.

Est noua nostrarum cunctis captura ferarum,
Vt si quod capias, id tu tibi ferre recuses;
Et quod non capias, tecum tamen ipse reportes.

31. FOENIX.

Vita mihi mors est, morior si cœpero nasci.
Sed prius est fatum, læta quam lucis origo.
Sic solos manes ipsos mihi dico parentes.

3e. TAVRVS.

Mœchus eram regis, sed lignea membra sequebar,
Et Cilicus mons sum, sed non sum nomine solo,
Et vehor in cælis, & in ipsis ambulo terris.

33. LXPXS.

Dentibus insanis ego sum qui vinco bidentes
Sanguineas prædas quærens, victusque cruentos,
Multa cum rabie vocem quoque tollere possum.

34. VVLPES.

Exiguum corpus, sed cor mihi corpore maius,

Sum versuta dolis, arguto callida sensu,
Et fera sum sapiens, sapiens fera si qua vocatur.

35. CBPRB.

Alma Iouis nutrix, longo vestita capillo,
Culmina difficili peragrans super ardua gressu,
Custodi pecorum tremula respondeo lingua.

36. PORCVS.

Setigeræ matris fecunda natus in aluo
Desuper ex alto virides expecto saginas,
Nomine numen habens, si litera prima periret.

37. MXLB.

Dißimilis patri, matris diuersa figura,
Alterni generis, generi non apta propago.
Ex aliis nascor, nec quisquam nascitur ex me.

38. TIGRIS.

A fluuio dicor, fluuius vel dicitur ex me,
Iunctaque sum vento, vento velocior ipso.
Et mihi dat ventus natos, nec quæro maritum.

39. CENTAVRVS.

Quattuor insignis pedibus, manibusque duabus,
Dißimilis mihi sum, quia sum non vnus, & vnus.
Et vehor, & gradior, quia me mea corpora portant.

40. PBPBVFR.

Grande mihi caput est, intus sunt membra minuta:
Pes vnus solus, sed pes longißimus vnus.
Et me somnus amat, proprio nec dormio somno.

41. MBLVB.

Anseris esse pedes similes mihi nolo negare,
Nec duo sunt tantum sed plures ordine cernis,
Et tamen hos ipsos omnes ego porto supinos.

42. BETA.

Tota vocor Græce, sed non sum tota Latine,

Ante tamen mediam cauponis scripta tabernam,
In terris nascor, lympha lauor, vnguor oliua.

43. CXCXRBXTB.

Pendeo dum nascor, rursus dum pendeo nascor,
Pendens commoueor ventis, & nutrior vndis.
Pendula si non sim, non sum iam iamque futura.

44. CFPB.

Mordeo mordentes, vltro non mordeo quemquam,
Sed sunt mordentem multi mordere parati,
Nemo timet morsum, dentes quia non habeo vllos.

45. RPSB.

Purpura sum terræ pulchro perfusa rubore,
Septaque ne violer telis defendor acutis.
O felix longo si possim viuere fato.

46. LILIVM.

Magna quidem non sum, sed inest mihi maxima virtus,
Spiritus est magnus, quamuis sim corpore paruo,
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

47. TXS.

Dulcis odor nemoris flamma, fumoque fatigor,
Et placet hoc superis, medios quod mittor in ignes,
Cum mihi peccandi meritum natura negarit.
Nec mihi pœna datur: sed habetur gratia danti.

48. MYRRA.

De lacrimis, & pro lacrimis mea cœpit origo.
Ex oculis fluxi, sed nunc ex arbore nascor.
Lætus honor frondis, tristis sed imago doloris.

49. FBXR.

Deus ego sum magnus populis cognatus Eois.
Nunc ego per partes in corpora multa recessi.
Nec remanent vires, sed formæ gratia mansit.

50. FE-

50. FENVM.

Herba fui quondam viridi de gramine terræ,
Sed calybis duro mollis præcisa metallo
Mole premor propria, tecto conclusa sub alto.

51. MPLB.

Ambo sumus lapides, vna sumus ambo iacentes,
Quam piger est vnus, tantum non est piger alter,
Hic manet inmotus, non desinit ille moueri.

52. FBRKNB.

Inter saxa fui, quæ me contrita premebant,
Vix tamen effugi totis conlisa medullis,
Et nunc forma mihi minor est, sed copia maior.

53. VXTKS.

Nolo thoro iungi, quamuis placet esse maritam,
Nolo virum thalamo, per me mea nata propago est,
Nolo sepulchra pati, scio me submergere terræ.

54. HAMVS.

Exiguum corpus flexu mucronis adunci
Fallaces escas medio circumfero fluctu.
Blandior vt noceam, mortis præmitto saginam.

55. BCXS.

Longa, sed exilis, tenui producta metallo,
Mollia duco leui comitantia vincula ferro,
Et faciem læsis, & nexum reddo solutis.

56 CALIGA.

Maior eram longe quondam, dum vita manebat,
Sed nunc exanimis lacerata, ligata, reuulsa,
Dedita sum terræ, tumulo sed condita non sum.

57. CLAVVS CALIGARIS.

In caput ingredior, quia de pede pendeo solo,
Vertice tango solum, capitis vestigia signo,
Sed multi comites casum patiuntur eumdem.

58. CBPKLLXS.

Findere me nulli possunt, præcidere multi,
Sed sum versicolor, albus quandoque futurus.
Malo manere niger, minus vltima fata verebor.

59. PILA.

Non sum cincta comis, & non sum compta capillis,
Intus enim crines mihi sunt, quos non videt vllus.
Meque manus mittunt, manibusque remittor in auras.

60. SFRRB.

Dentibus innumeris sum toto corpore plena.
Frondicomam sobolem morsu depascor acuto:
Mando tamen frustra, quia respuo præmia dentis.

61. PPNS.

Stat nemus in lymphis, stat in alto gurgite silua,
Et manet in mediis vndis inmobile robur.
Terra tamen mittit, quod terræ munera præstat.

62. SPONGIA.

Ipsa grauis non sum, sed aqua mihi pondus inhæsit.
Viscera tota tamen patulis diffusa cauernis,
Intus lympha latet, sed non se sponte profundit.

63. TRIDENS.

Tres mihi sunt dentes, vnus quos continet ordo,
Vnus præterea dens est, & solus in imo.
Meque tenet numen, ventus tumet, æquora curant.

64. SBGKTTB.

Septa graui ferro, leuibus circundata pennis,
Aera per medium volucri contendo meatu.
Missaque discedens, nullo mittente reuertor.

65. FLAGELLVM.

De pecudis dorso pecudes ego terreo cunctas,
Obsequio cogens moderati lege doloris,
Nec volo contemni, sed contra nolo nocere.

66. LBTFRNB.

Cornibus apta cauis tereti perlucida giro,
Lumen habens intus diuini sideris instar.
Noctibus in mediis faciem non perdo dierum.

67. SPECVLAR.

Perspicior penitus nec luminis arceo visus,
Transmittens oculos intra mea membra meantes,
Nec me transit hiems, sed sol tamen emicat in me.

68. SPECVLVM.

Nulla mihi certa est, nulla est peregrina figura,
Fulgor inest intus radianti luce coruscus,
Qui nihil ostendit, nisi si quid viderit ante.

69. RATIO.

Lex bona dicendi, lex sum quoque dura tacendi,
Vis auida linguæ finis, sine fine loquendi.
Ipsa fluens dum verba fluunt, vt lingua quiescat.

70. PXTFXS.

Mersa procul terris in cespite lympha profundo,
Non nisi perfossis possum procedere riuis,
Labor & ad superos alieno ducta labore.

71. TVBVS.

Truncum terra tegit, latitant in cespite lymphæ,
Alueus est modicus, qui ripas non habet vllas,
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

72. XTFR.

Non ego continuo morior, dum spiritus exit,
Nam redit assidue, quamuis & sæpe recedat.
Nunc mihi magna mea est anima, nunc nulla facultas.

73. LBPKS.

Deucalion ego sum crudelior hospes in vnda,
Adfinis terræ, sed longe durior illa.
Littera decedat, volucris tum nomen habebo.

74. CBLX.

Euaſi flammas, ignis tormenta refugi,
Ipſa medela meo pugnat contraria fato.
Ardeo de lymphis, mediis incendor ab vndis.

75. SKLFX.

Semper ineſt intus, ſed raro cernitur ignis,
Intus enim latitat, ſed ſolos prodit ad ictus.
Nec lignis, vt viuat, eget, nec vt occidat, vndis.

76. RPTB.

Quattuor æquales currunt ex arte ſorores,
Sic quaſi certantes cum ſit labor omnibus vnus,
Et prope ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt.

77. SCBLBP.

Nos ſumus ad cælum quæ ſcandimus alta petentes
Concordi fabrica, quas vnus continet ordo,
Vt ſimul hærentes per nos comitentur ad auras.

78. SCPPB.

Mundi magna parens laqueo connexa tenaci.
Iuncta ſolo plano, manibus compreſſa duabus,
Ducor vbique ſequens, & me quoque cuncta ſequuntur.

79. TINTINNABVLVM.

Ære rigens curuo, patulo componor in orbe:
Mobilis eſt intus linguæ crepitantis imago.
Non reſonat poſitus, motus quoque ſæpe reſultat.

80. CONDITVM.

Tres olim fuimus qui nomine iungimur vno,
Ex tribus eſt vnus, tres commiſcentur in vno.
Quiſque bonus per ſe, melior qui continet omnes.

81. ACETVM EX VINO.

Sublatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum.
Quod fuerat non eſt, cœpit quod non erat eſſe.
Nec tamen inueni, quidquid prius eſſe reliqui.

82. MI

82. MBLXM.

Nomen habens græcum, contentio magna dearum,
Fraus iuuenis pulchri, multarum cura sororum.
Excidium Troiæ, dum bella cruenta peregi.

83. PERNA.

Nobile duco genus magni de gente Catonis,
Vna mihi soror est, plures licet esse putentur.
De fumo facies, sapientia de mare nata est.

84. MBLLFXS.

Non ego de toto mihi corpore vindico vires,
Sed capitis pugna nulli certare recuso.
Grande mihi caput est, totum quoque corpus in illo.

85. PISTILLVS.

Contero cuncta simul virtutis robore magno.
Vna mihi ceruix, capitum sed forma duorum.
Pro pedibus caput est, nam cetera corpora non sunt.

86. STRIGILIS.

Rubida, curua, capax, alienis humida guttis,
Luminibus falsis auri mentita colorem,
Dedita sudori, modico succumbo labori.

87. BBLNFXM.

Per totas ædes innoxius introit ignis,
Est calor in medio magnus, quem nemo veretur.
Non est nuda domus, sed nudus conuenit hospes.

88. TFSSFRB.

Dedita sum semper voto non certa futuro,
Iactor in ancipites varia vertigine casus.
Non ego mœsta malis, non rebus læta secundis.

89. PFCXNKB.

Terra fui primo latebris abscondita duris,
Nunc aliud pretium flammæ, nomenque dedere.
Nec iam terra vocor, licet ex me terra paretur.

90. MVLIER GEMINOS PARIENS.

Plus ego sustinui, quam corpus debuit vnum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Discessere duæ, sed tertia pene secuta est.

91. MILES PODAGRICVS.

Bellipotens olim sæuis metuendus in armis,
Quinque pedes habui, quod nunquam nemo negauit,
Nunc mihi vix duo sunt, inopem me copia fecit.

92. LXSCXS.

Cernere iam fas est, quod vix tibi credere fas est.
Vnus inest oculus, capitum sed millia multa.
Quidquid habet vendit, quod non habet vnde parabit.

93. FVNAMBVLVS.

Inter luciferum cælum, terrasque iacentes,
Aera per medium doctus meat arte viator.
Semita sed breuis est, pedibus nec sufficit ipsis.

94. DE VIII. VT TOLLAS vij. & vj. remaneant.

Nunc mihi iam credas, fieri quod posse negatur,
Octo tenens manibus, sed me monstrante magistro,
Sublatis septem, reliquī tibi sex remanebunt.

95. XMBRB.

Insidias nullas vereor de fraude latentes,
Nam Deus attribuit huius mihi munera formæ,
Quod me nemo mouet, nisi qui prius ipse mouetur.

96. ECHO.

Virgo modesta nimis, legem bene seruo pudoris,
Ore procax non sum, nec sum temeraria lingua,
Vltro nolo loqui, sed do responsa loquenti.

97. SPMNXS.

Sponte mea veniens varias ostendo figuras,
Fingo metus varios nullo discrimine veros,

Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

98. MONVMENTVM.

Nomen habens hominis post vltima saxa relinquo,
Nomen inane manet, sed dulcis vita profugit.
Vita tamen superest morti post tempora vitæ.

99. ANCHORA.

Mucro mihi geminus ferro coniungitur vnco.
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo.
Scrutor aquas medias, ipsas quoque mordeo terras.

100. LAGENA.

Mater erat tellus, genitor fuit ipse Prometheus,
Auriculæque regunt redimitæ ventre cauato
Dum cecidi infelix mater mea me ante diuisit.

FINIS.





